




HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.


SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
MRS. ANNE E. P. SEVER,
OF BOSTON,
Widow of Col. James Warren Sever,
(Class of 1817,)
24 June, 1884.

DE
HORATII VOCIBVS SINGVLARIBVS
DISSERTATIO

SCRIPSIT

ET

AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICA GVILELMA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

NONIS APRILIBVS A. CIↃIↃCCCLXII

H. XII

PVBLICE DEFENDET

(Friedrich Wilhelm)
CAROLVS ZANGEMEISTER
GOTHANUS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

FRANCISCVS EYSSENHARDT, PHIL. DR. GVSTAVVS VHLIG, PHIL. DR.
ERNESTVS MARTIN, PHIL. CAND.

BEROLINI
TYPIS GVSTAVI SCHADE
1862

Τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται.

THEOPHRASTUS.

AVGVSTO BOECKHIO

MAVRICIO HAVPTIO

SACRVM

Quod magnus Bentleius ante hos paene ducentos annos iam obseruauit, multa apud Horatium extare singularia, id quatenus uerum sit quamque late pateat, neminem adhuc omnibus collectis quaesiuisse in tanta libellorum de Horatio quotannis prodeuntium multitudine iure miramur. nec uero timendum erat, ne de Horatio non bene mereretur, qui eam operam in se susciperet; quippe tuendus erat iandudum Horatius ab eorum inpugnatione, qui sicubi uocem uel dictionem singularem deprehenderunt, aut negant omnino latinam esse aut certe quosdam scriptores noua finxisse, quod in Graecorum tam uersatili lingua consentaneum esse arbitrantur, idem ab latina alienissimum esse contendunt ac proinde et librariorum oscitantiam et interpolatorum fraudes causantur, quin etiam monachos interdum potius quam Horatium uerbi alicuius auctores statuunt. contra quos, opinor, uniuersa uocabulorum quae mox exhibebo manus ipsa sese defendere sua multitudine poterit, ut adpareat simul, quam falsi illi sint, qui ex solo exemplorum numero uocabulorum uel dictionum probitatem aestimant, quippe quibus ut sibi constent, quidquid semel tantum reperitur obelo confodiendum sit. at enim exemplorum farrago, quam nos iam conferre possumus, superstitum tantum scriptorum usum praestat, non eum qui uere fuit (quot enim quot scriptorum libri perierunt); quamobrem, licet uerum sit, usum et consuetudinem, non analogiam loquendi normam facere, nos certe in tot scriptorum iactura, in tot locorum deprauatione ad genuinum usum et consuetudinem recognoscendam restituendamque carere non possumus analogiae auxilio, quae cum ipsam uerborum naturam introspiciat, numquid quod traditum est dici potuerit necne diiudicare queat.

Atque in permultis quidem concedendum erit solo casu factum esse, ut iam singularia sint et semel inuenta. item tamen alia ab Horatio facta esse agnoscendum erit. quod enim in quauis lingua quandoque factum esse scimus, id non mirandum nobis accidet in Horatio, qui cum Vergilio nouae artis poesisque cultioris auctor et erat et habebatur, quique praeter ceteros in eo elaborabat, ut relictis illis antiquiorum poetarum luxuriantibus maleque ad Graecorum similitudinem confictis formis, cum quae latini sermonis naturae indolique conuenirent sano iudicio perspiceret, eum sermonem poeticum conformauit, qui omnibus numeris perfectus iure nunc habetur. atque Horatium multa nouasse, disertis illud testimoniis confirmatur. Petronius 118 'Horatii curiosa felicitas'; Quintilianus X, 1, 96 'Horatius uarius figuris et uerbis felicissime audax.' sed ipsum Horatium audiamus. Ep. II, 2, 109—125:

at qui legitimum cupiet fecisse poema,
cum tabulis animum censoris sumet honesti;
audebit, quaecumque parum splendoris habebunt
et sine pondere erunt et honore indigna ferentur,
uerba mouere loco, quamuis inuita recedant
et uersentur adhuc intra penetralia Vestae;
obscurata diu populo bonus eruet atque
proferat in lucem speciosa uocabula rerum,
quae priscis memorata Catonibus atque Cethegis
nunc situs informis premit et deserta uetustas;
adsciscet noua, quae genitor produxerit usus.
uemens et liquidus puroque simillimus amni
fundet opes Latiumque beabit diuite lingua;
luxuriantia conpescet, nimis aspera sano
leuabit cultu, uirtute carentia tollet,
ludentis speciem dabit et torquebitur ut qui
nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa mouetur.

nec minus digna sunt, quae hic legantur, a. p. 47—59, quibus hanc licentiam sibi et omnibus poetis adrogat, ut uerba fingere ac praesertim ignotae alicui rei ignotum quoque nomen inponere liceat, ea uero facillime usu receptum iri, quae ad graeci sermonis exemplum facta sint. illud tamen, quod u. 47 dicit, 'dixeris egregie notum si callida uerbum reddiderit iunctura nouum', perperam ab multis de uerbis conpositione factis accipitur,

uelut 'centimanus' iunctis 'centum' et 'manus' facto, quam interpretationem Horatii uerba nullo pacto recipiunt; dicere enim saltem debebat: 'dixeris egregie, si per iuncturam *duorum triumue* uerborum notorum unum nouum factum erit' uel similiter, minime uero 'si notum uerbum (nempe singulare) callida iunctura reddiderit nouum.' immo hoc dicit, uerbum aliquod quasi nouum fieri, si cum altero uerbo iungatur, de quo proprie non dicatur, uelut 'uorago', quod notum est uerbum cum ad 'bona' refertur, 'uorago bonorum', ad nouam significationem transfertur et quasi nouum fit uerbum. itaque recte Porphyrio.

Hoc igitur ex locis quos adtuli adparet, Horatium multa uocabula finxisse, multa noue transtulisse. quae tamen quam multa et qualia sint, aliis inquirendum relinquimus. miretur autem quispiam et miratus est Peerlkampus, uir de Horatio praeclare meritus, (uelut c. I, 22, 14), quod quaedam, quae Horatius finxisse uideatur, ab nullo postea scriptore recepta sint uel potius a nobis iam apud nullum inueniantur. sed potius agnoscendum esse mihi uidetur quam mirandum, multa iam singularia esse. ac multa profecto non minus casus ludibrio singularia iam facta sunt quam alia, quae Horatius fecit, bis terue conseruata sunt. ut 'bimaris', 'peieratus', 'inexcusabilis', 'cinctutus', alia, quae Ouidius ab Horatio sumpsit*). deinde hoc quoque reputandum est, mutatis hominum studiis multa ab Horatio producta intermortua esse et auctoritatem superatam consuetudine, nam, ut ipse ait, mortalia facta peribunt, nedum sermonum stet honos et gratia uiuax; et Quint. I, 5, 70 'sed res tota [fingere uerba] magis Graecos decet, nobis minus succedit'; et VIII, 3, 30 'nostri in iungendo aut in deriuando paulum aliquid ausi uix in hoc satis recipiuntur.'

Quae cum ita sint, haec ubique tenenda lex est, ne cui uoci uel dictioni propterea solum, quia semel tantum extat, pro-

*) De imitatione Horatii Paldamus disputauit, sed nec omnia conplexus et malo saepe iudicio usus. omnino autem de mutua poetarum Augusteorum imitatione quid iudicandum sit, Mauricius Hauptius in Ind. lectt. Berol. 1855 docuit. quibus conferre mihi hic liceat Senecae uerba haece (Suasor. p. 21 Burs.): 'hoc autem dicebat Gallio Nasoni suo ualde placuisse; itaque fecisse illum, quod in multis aliis uersibus Virgilii fecerat, non subripiendi causa, sed palam imitandi, hoc animo, ut uellet agnosci.'

bitas fidesque abrogentur. immo sicuius uerbi formatio et ex analogia facta est et illius aetatis atque inprimis ipsius poetae mori conuenit, postremo si uerbum loco aptum est, non amplius haerendum dubitandumue est de eius probitate. omnino autem siquis 'strophae' Horatio abiudicandae argumentum sic petat, ut uocabulum aliquod latinum esse neget, is hoc neglegere uidetur, Horatii carmina non media aetate a barbaris, sed primis post Chr. n. saeculis atque quaedam adeo ante Quintilianum a latine loquentibus interpolata esse, nec omnino talium hominum esse, noua uerba producere.

Atque hac quidem scriptione tantummodo ea exhibebo uocabula, quae apud nullum ueterum nisi apud Horatium extant, alias fortasse de iis disputaturus, quae aliqua notione iuncturaue semel inueniuntur, quorum maior etiam numerus est. ceterum hic etiam ea conmemorare consentaneum duxi, quae praeter Horatium apud infimi aeui scriptores semel bisue occurrunt.

Ac primum quidem seorsum ponam ea, quae ab Horatio profecta esse non possunt, sed aut librariis aliud agentibus aut doctorum hominum interpretationi debentur. sic quae serm. I, 6, 122 leguntur, 'post hanc uagor aut ego *lecto* aut *scripto* quod me tacitum iuuet', pessime olim a multis pronominis 'ego' conlocatione deceptis explicata sunt ita ut ab Cruquii schol. 'lecto, lectito; scripto, scriptito' et Porphyrione 'lecto producta priore*) syllaba enuntiare debemus, quia frequentatiuum est ab eo quod est lego.' 'lectare' autem et 'scriptare' non magis alicubi inueniuntur, quam 'uictare', quamquam 'dicere' et 'dictare' et 'dictitare' extabant. atqui ne in illo quidem Horatii uersu extant, immo rectissime a Bentleio post J. Dousam et Torrentium *lecto* et *scripto* ablatiuos esse participiorum demonstratumst.

Idem Bentleius Horatium alia ab sorde purgauit *partumeius* epod. 17, 50, quod uerbum et scholiastae et codices boni omnes ignorant, deinde non ex analogia formatum est (uolunt enim conflatum esse ex 'partu' et 'meiere', ut Turneb. Adu. 30, 2), nec aptum est huic loco, ut praeclare Bentleius exposuit. bene

*) Vbi Paulyus quominus egregie falleretur (adnotauit enim: 'post *producta* codex addit *priore*, in quo nescio an *posteriore* latescat', atque adeo *priore* uocabulum plane omisit in contextu schol.) euitare poterat lecto Lachmanni commentario Lucretiano (p. 55).

uero se habet, quod codices probi omnes exhibent, 'tuusque uenter Pactumeius' et uera scholiorum interpretatio: 'sensus est, et Pactumeius est tuus uenter, i. e. tuus partus et filius.' et q. s. — quid iam dicas de Francisco Rittero qui huius uerbi nuper patronus securissimus extitit? esse enim 'liquorem amnii' ex tripode dicit et ad a. p. 49 (si forte necessest indiciis monstrare recentibus *abdita rerum* et q. s.) 'huiuscemodi, inquit, nomen est epod. 17, 50 partumeius.'

Transeamus ad uocabulum Bentleianum *haeduleae*, quod pro eo quod meliores codices habent, 'Hoediliae' s. 'Haediliae', carm. I, 17, 9 scripsit. 'ut ab equo equuleus, inquit, ab hinno hinnuleus, ita ab haedo haeduleus. et potuit quidem hic dixisse, haedulei lupos; sed maluit genus femininum, ut paullo ante colubras et uxores olentis mariti. quidni autem hinnuleae; cum Varro dixerit hinnas et equulas apud Nonium Marcellum [p. 122 et 106].' — at hic quidem uir singularis errasse mihi uidetur. nam hinnulea et equulea dici possunt, cum et hinna et equa dicatur; haedulea autem non magis quam haeda, hirca, taura, apra, Boeckin. immo 'Haediliae' recte ab recentissimis editoribus receptum est post inuentam in cod. Bernensi hanc glossam: 'Haediliae] mons', quod nomen ipsum hoc tantum loco extat.

Porro *Daunias* quod codices habent in carm. I, 22, 14, Bentleius demonstrauit ab Horatio non profectum esse. "nam Graeca, inquit, Graecam inflexionem libenter accipiunt, ut Cephisias ora, Phasias terra, Hadrias unda, Actias Orithyia, Lemnias, Scyrias, Gnossias, Myneïas et alia innumera; quae tamen in Latino 'Daunia' inuitius, ni fallor admittetur. huc accedit, quod et ipsum 'Daunias' substantiue hic ponitur, 'militaris Daunias': quod adhuc durius est, quam si pro epitheto haberetur. Tolerabilius enim foret 'Daunias hasta', uel 'Daunias Nympha' uel eiusmodi aliud quid, quam 'militaris Daunias.' tamen et illud refugerunt, cum Noster, tum et Virgilius. quae cum ita sint, non ausim sane uetustissimis licet codicibus fidem habere; neque tam *κακόζηλον* Horatium credere, ut nulla ne uersus quidem necessitate cogente 'Daunias' diceret, cum in promptu esset, quod nunc editiones occupat, 'Daunia in latis.' illud tamen difficile dictu est, unde nisi ab ipsa Horatii manu prouenire po-

tuerit 'Daunias' in priscis membranis." — atque haec quidem Bentleius egregie. recentiores partim id quod in nullo melioris notae scripto libro extat et metrici interpolationem esse adparet, 'Daunia in latis', receperunt, partim 'Daunias' retinuerunt adiectiuum interpretati, qui Bentleium ne legisse quidem, nedum intellexisse mihi uidentur. ac Bentleius quidem, ut dixi, recte mihi negasse uidetur ab Horatio illud 'Daunias' profectum esse; quo autem iure Peerlkampus totam 'stropham' Horatio abiudicauerit, infra, ubi de 'aesculetis' dicendum erit, uidebimus.

Item *Pyrrhia*, quod ep. I, 13, 14 traditum est, recte Lachmannus ait in comm. Lucr. p. 408 neque Graecae neque Romanae feminae nomen esse, nec posse dubitari, quin illud a librariis ita corruptum sit*).

Iam uero ut ipsius Horatii uocabula adgrediar (mitto enim multa quae homines docti Horatio obtrusum iuere plane singularia), primo loco ponam graeca. quorum duplex ratio est. alterum enim genus, quod ex cognominibus quibusdam deorum constat, ab Horatio ex litteris Graecorum sumptum est; alterum, quod nomina adpellatiua conprehendit, communi tum usu Romanis tritum fuisse oportet, nam Augustae aetatis poetae ut graecis nominibus propriis abunde utuntur, ita adpellatiua graeca declinauerunt, nisi quae usu recepta iam essent.

Et *Agyieus* (c. IIII, 6, 28) quidem utique latinis auribus inauditum erat, etsi doctis hominibus non ignotum. nam secundum Porphyrionem ad h. l. Varro in nescioquo libro de eo exposuerat. omnino autem Horatium in carmine saeculari et illo IIII, 6, quod huius quasi praefatio et commendatio est, graeca nomina quasi de industria sectari uidetur, ut sagaciter obseruauit Bentleius ad c. s. 16. — apud graecos scriptores satis frequenter occurrit illud nomen. de eius cultus apud Tegeatas origine refert Pausanias VIII, 53, 1; idem de Acharnensium I, 31, 3 et Argiuorum II, 19, 7 Agyieo Apolline tradit et de Atheniensium Varro apud Porphyrionem ad Horatium et de Graecorum omnino Macrobius sat. I, 9.

Eiusdem Apollinis, quem deum meminerimus ab Augusto

*) *Nothus* (c. III, 15, 11), quod nomen Meinekius nusquam alibi extare ait, transeo, quippe quod nesciam an Gruteri tres tituli p. 76, 7 ab Iacobonio et p. 426, 7 et 8 ex Augustini schedis sumpti satis tueantur.

praeter ceteros ut sui custodem maxime cultum esse, nomen est *Patareus* c. III, 4, 64 a Pataris Lyciae urbe dictum. meminit Seruius ad Verg. Aen. IIII, 144 Pat. Lyciae ciuitatem ... unde *Παταρεὺς* Apollo dicitur (cf. Strabon. XIIII, p. 666; Lycophr. u. 920; Eustath. ad Dion. Per. u. 129; Mela. I, 15, 3). oraculum memorat etiam Vergil. A. IV, 346 'Italiam Lyciae iussere capessere sortes.'

Bassareus, Bacchi nomen, quod extat c. I, 18, 11, non dubitandumst, quin graecis scriptoribus frequentatum fuerit, etsi a nobis non nisi apud Cornutum p. 219 Gal. et in Bekkeri An. p. 222, 26 legatur. 'Bassaricas comas' Propertius dixit IIII, 17, 30; 'Bassaris' Persius 1, 101.

Quod ualet etiam de *euhias*. c. III, 25, 9: 'non secus in iugis Edonis stupet euhias' (sic enim Horatius scripsit; nam Orellius mire iudicat). i. e. thyias, baccha. — *εὐϊάδες* Hesychio *ἄμπελοι* sunt. Antipater Anthol. Pal. 9, 603, 9 *λύσσᾳ εὐϊάδι* (i. e. bacchica).

Alterum genus graecorum est horunce adpellatiuorum:

Amystis. c. I, 36, 14: 'neu multi Damalis meri Bassum Threicia uincat amystide.' *ἄμυστις* potandi genus, Thracibus ut uidetur maxime acceptum (Hesychius: *συνεχὴς πόσις*) et poculi genus est. Graecorum ut alios mittam usus est Callimachus fr. 109) apud Athen. p. 442 et 477 Macrob. sat. 5, 21):

καὶ γὰρ ὁ Θρηΐκίην μὲν ἀπέστυγε χανδὸν ἄμυστιν
ζωροποτεῖν· ὀλίγῳ δ' ἥδετο κισσυβίῳ.

Ciborium. c. II, 7, 22: 'obliuioso leuia Massico ciboria exple.' *κιβώριον* est *κολοκασίας* siue *κυάμου Αἰγυπτιακοῦ* (ciboriam adpellat Appul. herb. 67) pericarpium (cf. Diod. I, 34), deinde poculum in huius similitudinem factum (cf. Didym. ap. Athen. XI, p. 477 E). hoc uocabulum semper deinceps in usu fuisse arguunt Romanenses linguae. Itali enim 'ciborio', Francogalli 'ciboire' poculum dicunt, quo sacrosanctum I. C. corpus adseruatur. et in architectura 'ciboria' hodieque tabernacula ararum uocantur (cf. Du Cange, Gloss.).

Diota. c. I, 9, 8: 'atque benignius deprome quadrimum Sabina ... merum diota.' — adiectiuum *δίωτος* apud Platonem Hipp. m. p. 288 D extat. graece *δίωτος* uel *διωτὶς* diceretur; non *διώτης* nec *διώτη* (u. Bentl.); 'diota' latina inflexione dictum (ut *παρά-*

σιτος, parasitus, parasita) et femininum esse demonstrauit Lobeck. ad Phryn. p. 659. — 'Diota, *ἀμφόριον, οἰνοφόριον*', glossae Philoxeni. commentator Cruquii: 'Vas est uinarium duas ansas habens, quasi duas auriculas, unde nomen habet: aliud est quod Magganum dicitur, uas uinarium ex ligno confectum.' — minus circumspecte Fr. Paulyus scripsit: 'nec magarum nec magganum nec migari apud schol. Barthii habeo quo expediam'; Suidae enim glossae sunt haece: *μαγγάναν οἱ Ἰταλοὶ ὀνομάζουσιν, ἔστιν ἐν τῷ Γαῦλος*, ubi haec leguntur: *Γαυλός· οἰνηρὸν ἀγγεῖον ἐκ ξύλων κατεσκευασμένον, ἣν Ἰταλοὶ μαγγάναν ὀνομάζουσιν*. cf. Du Cange, gloss. in u. manganum 1.

Lagois. serm. II, 2, 22: 'nec scarus aut poterit peregrina iuuare lagois.' — hoc u. ne apud graecum quidem scriptorem ullum reperitur. in diuersa abeunt scholiastae. Porphyrio: 'auis leporini coloris.' Acro: 'Lagois auis quae carnem leporis habere perhibetur. aut est genus piscis, quod in mari Italo non inuenitur.' — probabilius autem est auem esse propterea, quod I. G. Schneiderus, harum rerum peritissimus, de pisce simile aliquod apud ueteres nomen extare negauit, quode u. Heindorf., qui Hesychii glossam, *λαγωΐνης, ὄρνις ποιός* contulit. praeterea haec auium nomina conparare licet: *λαγώς* Artemidor. 4, 56, p. 369; Antonin. lib. 21, p. 140 et *λαγωδίας* Athen. 9, p. 390 F (cf. Lobeck. Pathol. p. 492) et *λαγώπους* Plin. n. h. 10, 48, 68.

Phimus. s. II, 7, 17: 'mitteret in phimum talos.' — *Φιμοὶ οἱ καλούμενοι κημοί, εἰς οὓς ἐνεβάλλοντο οἱ ἀστράγαλοι*, uerba sunt schol. Aeschin. 1, 59, 9; itaque schol. Cruquii: 'Est autem phimus instrumentum ligneum stricti oris, ex quo coniciuntur tesserae, ne possit falli is, qui cum alio (l. altero) ludit.' idem *πυργός* ('pyrgus' Sidon. Ep. 8, 12 habet) et *πυργίον* nominabatur, latine 'orca'; fritillus' autem ipsa pyxis aleatoria esse uidetur ex qua manibus agitata tali in tabulam iaciuntur, ut adparet ex Senec. Apocol. extr. et Martial. 14, 1, 3; quare non consentio Beckero (Galli exc. 3. scaen. 10).

Ptisanarium. s. II, 3, 155: 'sume hoc ptisanarium oryzae.' *πτισανάριον* nunc quidem nusquam reperitur, sed extitisse olim certum est. adposite Plinius n. h. 22, 66: 'maxime oryza gaudent (Indi), ex qua ptisanam conficiunt, quam reliqui mortalium ex hordeo.' ceterum notandum, in hoc uerbo Horatium a re-

cepta syllabarum mensura recessisse, nam *πτισανάριον* non potest non antepaenultimam corripere, ut fit in omnibus huius generis deminutiuis, *ψυχάριον, νηττάριον, ψηττάριον,* aliis, ut Meinekius praef. p. XXXXI docuit conl. Menand. reliq. p. 180.

Scaurus. s. I, 3, 48: 'illum balbutit scaurum, prauis fultum male talis.' schol. Cruq.: 'Scauri dicuntur, qui talos habent extantes. alii dicunt scauros esse, qui habent talos inuersos et tortuosos.' *Σκαῦρος* de equo dixit Apsyrtus in hippiatr.: '*Ἵππος ἱκανὸς πρὸς ὀχείαν μὴ σκαύρους πόδας ἐχέτω μηδὲ ταπεινούς.*' — extat etiam in glossis Philoxeni, ubi *σκαμβός, σκελλός, στρεβλόπους* explicatur. sed nulla causa est, cur hoc uocabulum potius graecum (ut Freundius aliique) quam latinum esse dicamus. quare hic omittere debebam. — hinc cognomen Scaurus: Plin. n. h. 11, 45: 'uola homini tantum, exceptis quibusdam. namque et hinc cognomina inuenta Planci, Plauti, Scauri, Pansae.' Quintil. I, 4, 25: 'scrutabitur — origines nominum: quae ex habitu corporis Rufos Longosque fecerunt: ubi erit aliud secretius, Sullae, Burrhi, Galbae, Plauti, Pansae, Scauri, taliaque.'

Hactenus de graecis. ceterorum enumerabo primum substantiua, deinde adiectiua, tum uerba, postremo aduerbia.

Atque hoc mihi uideor recte contendere, non posse ab Horatio facta esse substantiua uel primitiua uel ea, quae quas res aut personas significarent, ex ipsis ultro intellegere nemo potuerit. dico haece: ***barrus, caliendrum, ciniflones, culullus, diludia.***

Barrus (epod. 12, 1) nomen elephanti est ab Indis aut Afris petitum; u. scholia, Festum, Isidorum orig. 12, 2, 14 (cf. 16, 5, 9); gloss. Philoxeni. — 'barrire' extat apud Festum et Spartian. Get. 5; 'barritus' apud Appul. flor. 358, 2 et Isidor. l. l.; 'barrinae aures' apud Sidon. ep. 3, 13. Barrus cognomen erat, uelut T. Betuti Asculani eloquentissimi (Cic. Brut. § 169) itemque Barros memorat Horatius serm. I, 6, 30 et 7, 8 (nam I, 4, 110 'Barus' legendumst. u. M. Haupt. in Rhen. Mus. 3). perperam uero Turnebus illo epodon uersu Barros homines intellegendos esse statuit, quippe qui Barris illis, serm. I, 7, 8 commemoratis, similes sint, quos deformes et nigros fuisse conicit. — obiter hic monuerim ex iis, quae hic (serm. I, 7, 8) scholiastae habent, probe disci posse, quo pacto scholia antiqua et proba in deterius lapsa paullatim, ueraeque explicationes male intellectae peruersae

sint. nam cum uera esset haec interpretatio quam apud Porphyrionem cuius sinceriora paullo scholia sunt legimus, post aliquis scripsit (ut apud Acronem uidemus): 'Sisenna fuit illis temporibus maledicus et mordax; barri autem dicuntur maledici. id est: adeo erat sermonis maledici, ut Sisennas barros uideretur uincere'; barros igitur nomen adpellatiuum esse et maledicos significare opinatus est.

Caliendrum. s. I, 8, 48: 'Canidiae dentis, altum Saganae caliendrum excidere.' — capillamentum s. κόσμον κεφαλῆς (ut Philoxeni glossae interpretantur) fuisse uidetur. Porphyrio: 'Iocatur in has, quasi altera dentibus adpositis uti solita sit altera quod glabra (sic recte Heindorfius cum Forcellino) fuerit caliendrum h. e. galericulum habere consueuerit. caliendri meminit et Varro in eo libro qui inscribitur 'uirgula diuína' dicens:

égo nunc postuló meum
'Agamemnona. — tantís cothurnis áccipit Critónia
cáliendrum.' —

hoc modo tetrametros constituit Lucianus Muellerus de re m. p. l. pag. 418 traiecto 'Agamemnona', quod libri ante 'meum' ponunt. — 'caliandrium' habet Arnobius 6, 26 et 'calliandrum' Tertull. pall. 4 ed. Salm. p. 24.

Ciniflones. s. I, 2, 98: 'Custodes, lectica, ciniflones, parasitae.' (quae satirae pars omnino multa continet ἅπαξ εἰρημένα.) Acro adnotat: 'Ciniflones et cinerarii eadem significatione apud ueteres habebantur ab officio calamistrorum i. e. ueruum in cinere calefaciendorum quibus matronae capillos crispabant; cuius rei et Vergilius meminit dicens: "crines uibratos calido ferro [Aen. XII, 100]." dicti autem ciniflones ab eo quod in cinerem flant ad calefaciendum ferrum, quos et cinerarios appellant.' — quibus conferas Varron. d. l. l. V p. 132 Sp.: 'calamistrum, quod his calefactis in cinere capillus ornatur. qui ea ministrabat, a cinere cinerarius est appellatus.' — atque 'cinerarius' extat adhuc apud Catullum c. 61, 138. — ciniflonis uero ab cinere et flando deriuatio non ualde probabilis uidetur, nisi forte credimus ioco quodam adpellatum esse. non autem ancillas ornatrices sed uiros intellegendos esse contra Boettigerum (Sabin. p. 124) recte demonstrauit Heindorfius. cf. Beckeri Gallum, t. II p. 113 (ed. II).

Culullus. c. I, 31, 11 et a. p. 434: 'diues et aureis mercator exsiccet culullis uina Syra reparata merce.' — 'Reges dicuntur multis urguere culullis et torquere mero quem perspexisse laborant.' Porphyrio ad priorem locum: 'culullis pro poculis dixit; proprie autem cululli calices sunt quidem fictiles, quibus pontifices uirginesque Vestales in sacris utuntur.' — Acro ad a. p. 434: 'Cŭlullis i. e. calicibus et est deminutiuum a cūleo.'

Diludia. ep. I, 19, 47: 'diludia posco.' — Acro: 'diludia dicuntur tempora, quae gladiatoribus conceduntur*) inter dies munerum quibus pugnant' (sic Canteri codex in Gruteri Lampad. III, 644 et Cruquii scholia, nisi quod 'pugnatur' habent). Porphyrio: 'intermissionem ludorum uel dilationem.'

In usu fuisse ueri simile est *Octussis:* s. II, 3, 156: 'quanti emptae?' 'paruo.' 'quanti ergo?' 'octussibus.' hoc uerbum quod omnes omnium codices exhibuerunt, Bentleius postliminio reuocauit. pluralem enim recte habere demonstrauit propter distributionem. praeterea hae eius generis conpositiones extant: tressis, quinquessis, septissis, octussis, nonussis, decussis, decussisexis, bicessis, tricessis, centussis. cf. Varr. l. l. V. § 169. (corrigas autem typogr. errorem apud Bentl.: 'ptisanarium octusse siue *octo* [non 'octonis'] assibus emtum est.)

Iam enumerabo ea substantiua, quae ab Horatio ficta esse possunt. *Faustitas* c. IIII, 5, 18: 'nutrit rura Ceres almaque Faustitas.' noue protulisse Horatium pro 'Felicitas' iam scholiastae animaduerterunt; neque alibi hodie reperitur. 'felix' autem et 'faustus' simili fere notione usurpata fuisse arguit trita illa formula: quod bonum felix faustum fortunatumque sit. de Felicitate temporum quaedam contulit Spanhemius ad Callim. h. in Cer. 123. cf. Prelleri myth. rom. p. 618—, cui addas Messallae uerba apud Sueton. Oct. 58. — iniuria uero Bentleius Faustitatem contendit non ad rura sed ad fruges siue farra referri debere; scripsit enim pro 'rura' ex coniectura 'farra', praecipue ideo quia 'rura' uocabulum bis in disticho repetitum rus merum et librariorum stuporem sapere ei uidebatur; at Bentleius cum apud Horatium, tum maxime in Lucani Pharsalia nimius erat uariandae orationis studio, quam magis sectabatur

*) non, ut Paulyus refert, 'conceduntur ut inter.'

quam scriptores ipsi (quode u. Haupt. ind. l. 1859—60, p. 5). nec alterum quo utitur argumentum uerius est, nihil 'nutriri' dici, ne per metaphoram quidem, nisi quod augeri et incrementum capere possit; nimis enim angustis finibus circumscribit nutriendi notionem cum ad solius externae magnitudinis auctum refert; nam senes, ut hoc exemplo utar, nutriuntur, non crescunt nec proceriores fiunt. nec Plinius (n. h. 13, 15, 30) cum 'mensas nutriri' dicit, magnitudinis iis aliquantum accedere intellegit. quid quod Silius Italicus XII, 375 dixit: 'Arua coquit (Sardinia) nimium, Cancro fumantibus Austris, cetera propensae Cereris nutrita favore', quem locum reperit Mitscherlichius. omnino autem haud ita audacem et poetarum propriam hanc translationem dixeris, cum ad rem rusticam pertineat.

Arbitra. epod. 5, 50: 'o rebus meis non infideles arbitrae, Nox et Diana.' i. e. consciae, testes.

Dilator (a. p. 172) i. e. qui differre solet, 'procrastinator' ut schol. Cruquii ait. praeterea apud classicos scriptores haec habentur in 'lator' exeuntia: delator, relator, translator; et apud infimae aetatis scriptores: ablator, circumlator, collator, oblator, perlator, praelator.

Temptator (c. III, 4, 71). quod uerbum cum et recte formatum sit nec non apte de Orione dici possit (cf. Tibull. I, 3, 73: 'Iunonem temptare Ixionis ausi'), nihil est quod Horatium eo usum esse negemus; nec hinc, quod nusquam alibi legitur, argumentum ad interpolationis suspitionem confirmandam magis peti debet, quam quod 'dilator' apud solum Horatium et 'volgator' apud solum Ouidium extat. quattuor illos autem uersus (69—72) non ab Horatio profectos esse, post ea quae Buttmannus in Mythologi t. II, p. 385— disseruit, neminem negare puto, nisi qui credulus tam superstitiose sit, ut quidquid traditumst suspiciat et probum existimet, etiamsi P. Cornelium P. F. Scipionem, qui circa a. 566 mortuus est, Karthaginem a. 608 diruisse Horatius scripsisse credendus sit.

Aesculetum. c. I, 22, 14. hic Peerlkampus adnotat: 'fuit Horatius uerborum nouator, sed alii scriptores credo uocem tam bene formatam a tam idoneo auctore recepissent. non Plinius, non rei rusticae scriptores post Horatium usurparunt. non grammatici uetustiores mentionem fecerunt. Philoxenus, qui in glos-

sario suo tam multas uoces ex Horatio sumtas explicat, interpretatur aesculus, non aesculetum. inueni apud solum Papiam: esculus, inde esculetum, sicut oliuetum. et Comment. Cruq. ad II. carm. 9. us. 7. 'Ut pineta, esculeta, uineta, sic et querceta dicuntur loca, ubi multae quercus nascuntur.' — at extat apud optimos auctores, Varronem de l. l. V § 152 et Plin. n. h. 16, 10, 37. Vicus enim erat Romae Aesculetum. ergo in hoc uerbo non offendendumst. deinde (ut periculum faciam diiudicandi, Horatii sit haec 'stropha' necne) 'Daunias' supra iam Bentleio concessum est ab Horatio scriptum esse non posse. 'militaris' autem recte Peerlkampus negat ad horrenda animalia facere; immo perpetuum et generale hic epitheton est, non ex huius loci solo enascitur. quae uero Peerlk. addit: 'mira terrarum adeo dissitarum coniunctio. parua Italiae pars et ingens Africae regnum', horum acumen equidem non intellego. nam quae terrae bestiis formidolosae maxime et essent et haberentur, eis hic pro exemplis uti potuit poeta geographici earum situs et ambitus securus. postremo uniuersam 'stropham' siquis dixerit ad carminis consilium et sententiam non necessariam esse, quin etiam cum totius carminis colore discrepare, quia innocentiae securitati, a periculo tutae ac timoris ignarae, quam toto carmine poeta describat, non conueniat lupi eum adspectu in tantum terrorem conici, ut lupo nullum uspiam atrocius portentum inueniri contendat: has uero concedendum est ratiunculas esse et leuissimas singulas et ne coniunctas quidem satis idoneam rationem efficientes, quibus melius abstineamus. quae cum ita sint, nihil offensionis relinquitur, nisi quod 'Daunias' male formatum et 'militaris' generale et ornans epitheton est. at haec uero non tanti momenti argumenta esse mihi uidentur, quae uniuersam 'stropham' interpolatam esse conuincant. quare equidem adducor, ut 'Daunias' credam in ueteri mendo cubare nobis iam insanabili (qualia complura sunt apud Horatium, uelut 'limen Apuliae', 'fabulaeque manes', 'iam uirum expertae', 'matura uirgo'), submouisseque aliud quid, per quod 'militaris' epitheton significantius et aptius fieret.

Mantissae uice hic addam III substantiua Horatii rarissima: *adlapsus* epod. 1, 20: 'adl. serpentium', quod apud Valerium Maxim. I, 6 extat: 'adlapsus serpentium arceri', ut Peerlkampus

docuit, et apud Appuleium met. V, 1: 'adl. fontis.' — *nitedula,* quod Horatio in ep. I, 7, 29 a Bentleio restitutum est, apud Ciceronem or. Sest. 33 (cf. scholia Bob. p. 303. 11, 16 Or. et Priscian. p. 613) et Arnobium II p. 95 ed. Her. extat; 'nitella' saepius; quode u. Bentleium ad Horatium et Lachmannum comm. Lucret. p. 204. — *parasita* (cuius de forma uide quae supra (p. 7) ad diotam diximus) Horat. s. I, 2, 98; Plinius n. h. X, 23, 33. de oto aui dixit.

Tantum de substantiuis. iam ut ad adiectiua pergam, si quaeritur, quae adiectiuorum formationes Augusteis poetis acceptae fuerint, facilius id certe ita definimus, ut quas excluserint et declinarint dicamus. reliquerunt igitur omnino uetustiorum poetarum abundantiores formas et audacia conposita qualia sunt 'repandirostrum', 'incuruiceruicum', et lasciuientia illa deminutiua (cf. M. Haupt. obs. crit. p. 14), quae uulgari sermoni usque peramata manebant. atque illorum quidem generum nullum unum est in iis adiectiuis, quae mox promam. quae, si unam hybridam 'depugis' et graecanica exceperis, cum omnia sint aut denominatiua aut conposita, non temere mihi uideor contendere, posse quidem illa ab Horatio ficta esse, ut tamen de singulis quibusque adseuerare non ausim.

Ac maxima quidem licentia erat adiectiuorum cum 'in' particula negatiua conponendorum, ad quas formationes etiam metri commoditate inuitarentur. nec absurdum erit hoc loco conmemorasse alias dictiones, quibus illius uice poetae utantur. uelut illud 'numero carens arena'; 'sine fraude' c. II, 19, 20: nodo coerces uiperino Bistonidum sine fraude crinis'; et a. p. 320 fabula nullius Veneris, sine pondere et arte i. e. *ἀβαρής, ἄτεχνος.* quid quod Ouidius eo progressus est, ut tali dictione uteretur pro datiuo etiam adiectiui uel participii ut met. I, 20 'pugnabant sine pondere habentia pondus' i. e. *ἀβαρέσιν, τοῖς ἄνευ βάρους οὖσιν* (u. M. Haupt. ad h. l.). — iam illa cum 'in' conposita per litteras persequar:

Inaudax. c. III, 20, 3: 'Non uides quanto moueas periclo, Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae? dura post paullo fugies inaudax proelia raptor.' — Graecorum est *ἄτολμος* (u. Meinek. p. X). ceterum nota est haec litotetis figura, apud ueteres frequentissima; licet nobis haud ita familiaris sit, quo factum est,

ut nostratium multi multis locis non intellegerent eius naturam. eandem autem non esse ab latinis poetis ad graecorum imitationem receptam, inde adparet, quod scaenici uetusti ea utuntur, ut 'incicur' Pacuuius apud Festum p. 108: 'incicorem, inmansuetum et ferum. Pacuuius: reprime incicorem iracundiam.'

Incastigatus. ep. I, 10, 45: 'nec me dimittes incastigatum'; Ouidius dixit: 'inreprehensus.'

Incuratus. ep. I, 16, 24: 'stultorum incurata pudor malus ulcera celat.' 'curare' proprium uerbum est rei medicae (uelut 'morbos' Celsus prooem. 'uulnus' Liuius II, 17) itemque 'curatio.' — 'incuratus' apud Vopiscum Aurel. 28 recurrit: 'nequiquam uir fortis reliquit quod aut inperfectum uideretur aut incuratum.'

Ingustatus. s. II, 8, 30: 'ingustata mihi porrexerat ilia rhombi.' i. e. 'quae antea non gustaueram' schol. Cruquii. — Nouam et inauditam rem nouo uerbo denotauit.

Inlacrimabilis, quo bis in carminibus utitur. atque c. II, 14, 6: 'inlacrimabilem Plutona' est, qui non lacrimat, qui tam inmisericors est, ut ad lacrimas conmoueri non queat. actiua igitur significatione positum est, cuiusmodi adiectiua fere omnia conlegit I. M. Gesnerus ad c. I, 3, 22. — male autem Lambinus cum multis explicat 'qui lacrimis non mouetur,' quae interpretatio, uti sententia apta est, ita ex forma adiectiui 'inmiserabilis' elici nullo modo potest. est graecum ἄδακρυς. idem uerbum Peerlkampus restituendum esse putat Statii Silu. II, 1, 139 ubi libri habent: 'haec fortuna domus: subitas inimica leuauit Parca manus. quo diua feros grauis exeris ungues? non te forma mouet, non te lacrimabilis aetas?' Peerlkampus legit: non te, inlacrimabilis, aetas?' — ac sane Glauciae optimae spei iuuenis praerepti aetas non sine quadam cogitandi ambage lacrimabilis dici potest, scilicet si praerepto iuuene aetas esse desinit; attamen in hoc sententiae conexu et forma satis apte dici posse mihi uidetur. 'non te forma, non te aetas iuuenis mouet, ut ei parcas; quippe si interemeris lacrimabilis erit.' quare nolim equidem hic aliquid mutare. inlacrimabilis autem uidendum est ne in hac orationis *forma* Parca minus apte dicatur. cur enim interrogat, num Parca parsura sit iuueni, cum sciat eam inmisericordem esse? quamquam non sum ignarus, illam interrogatiuam formam sententia adfirmationi

parem esse. — eodem uerbo Horatius c. IIII, 9, 26 passiua notione usus est: 'uixere fortes ante Agamemnona multi: sed omnes inlacrimabiles urguentur ignotique longa nocte, carent quia uate sacro', i. e. qui non lacrimantur nec possunt lacrimari. Vergilius habet 'infletus', Ouidius 'indefletus' et 'indeploratus' (Aen. XI, 372; Met. VII, 611; Trist. III, 3, 46).

Inmemoratus. ep. I, 19, 33: 'iuuat inmemorata ferentem ingenuis oculisque legi manibusque teneri', i. e. noua, non prius dicta; sic 'memoratus' ep. II, 2, 117: 'uocabula rerum, quae priscis mem. Catonibus atque Cethegis.' — idem uocabulum apud Ausonium parent. 20 extat: 'nec tu iam metris ... meis inmemoratus eris.' — 'inmemoratio', i. e. obliuio, in Vulgata Interpret. Sapient. 14, 26 est. 'inmemorabilis' Plautus et Lucretius habent, 'memorabilis' multi.

Inmersabilis. ep. I, 2, 22 de Vlixe: 'aduersis rerum inmersabilis undis' i. e. qui mergi, opprimi aduersis rebus non potest, usitata imagine. Liuius VIIII, 18: 'et loquimur de Alexandro nondum merso secundis rebus'; Verg. A. VI, 512: 'sed me fata mea et scelus exitiale Lacaenae his mersere malis'; et similiter 'mertare' apud Lucretium (V, 1008). — Pindarus eodem modo dicit: Pyth. 2, 80 (146) *ἅτε γὰρ εἰνάλιον πόνον ἐχοίσας βαθὺ σκευᾶς ἑτέρας, ἀβάπτιστός εἰμι, φελλὸς ὣς ὑπὲρ ἕρκος, ἅλμας.*

Inmetatus. c. III, 24, 12: 'Getae, inmetata quibus iugera liberas fruges et Cererem ferunt.' Getarum terra non in iugera distincta, sed omnibus communis erat, cum contra Romani potentiores etiam 'publicum (i. e. commune) mare' ad priuatas possessiones raperent. — ceterum eandem sententiam inuenies apud omnes poetas latinos, qui auream aetatem describunt (uelut Vergil. Ge. I, 126; Tib. I, 3, 44; Ouid. Am. III, 8, 42; Met. I, 135).

Inmiserabilis. c. III, 5, 17, ubi libri habent: 'si non periret inmiserabilis captiua pubes.' i. e. quae indigna miseratione est. Ouidius in Ibide (u. 115) dixit 'sis miser semper nec sis miserabilis ulli.' — ad metrum sustentandum alii alio conplemento usi sunt. ac Paldami quidem uae miserabilis est coniectura. sed aut cum Glareano et Bentleio scribendum est: 'si non perirent inmiserabiles' aut cum Lachmanno: 'si non perires.' (u. comm. Lucr. p. 17.)

Inmodulatus. a. p. 263: 'non quiuis uidet inmodulata poe-

mata iudex.' graecum uerbum, quod hoc plane aequet, frustra quaesiueris; quare non probo eorum *περιεργίαν*, qui, sicubi latinum aliquod uerbum cum graeco congruit, ad graecam originem referunt; nimirum falluntur summa graeci sermonis ubertate. — ceterum hic agnoscendus est Horatii quidam lusus; nam dum de inmodulatis carminibus loquitur, ipse male modulati uersus exemplum prodit, legitima caesura carentis (quode u. Lachm. Lucr. p. 414 et Lucian. Mueller. de r. m. p. 196 et 369); pari ioco Horatius a. p. 56 dum de fingendis nouandisque dictionibus loquitur, ipse finxit 'inuideor' (quod iam schol. Acronem aduertit), itemque u. 50 in his: 'si forte necessest indiciis monstrare recentibus abdita rerum, fingere cinctutis non exaudita Cethegis continget', 'cinctutis' ipse finxit deinde ab Ouidio receptum (adnotauit Nannius in edit. Torrentii).

Inominatus. ep. 16, 38: 'inominata perprimat cubilia', i. e. mali ominis, quod antiqui 'obscaenum' dicebant (u. Fest. p. 201). Gellius 5, 17 habet 'inominalis' ab eoque Macrobius. ac proprie quidem est: 'nullius ominis,' sed notum est in omnibus linguis saepe id, quod malum est, omnino esse negari; uelut 'informis' cum proprie id sit, quod nullam formam habet, de re malae formae dicitur. — eodem uocabulo Horatium usum esse in illo uersu, qui praeterea inmedicabili uulnere laborat, c. III, 14, 11 post Bentleium nemini dubium esse debebat. Cruquius ibi de suis codd. refert: 'ominatis, habet antiquiss. Bland. cum Diuaei et Sil. reclamantibus omnibus aliis manuscriptis' (septem, ut mox dicit), nec aliter scholiastae legisse uidentur. Porphyrio enim habet: 'quid est, male nominatis uerbis parcite? utrum quemadmodum edicitur, ut ciues feriati hodie litibus iurgiisque se abstineant, an ut e contrario in sacrificiis praecipitur: bona omina habete, ita nunc: parcite malis uerbis i. e. malis ominibus;' ubi 'bona omina' et rursum 'malis ominibus' indicant, 'ominata' eum, certe non nominata legisse. — Bentleii codices pariter 'ominatis' atque 'nominatis' tuentur. iam demonstrauit Bentleius hiatum qui fit in 'male' ante 'ominatis ferri non posse; 'male nominatis' autem ad sententiam parum facere. et recte quidem. miror enim I. M. Gesnerum, inmensae uirum doctrinae et sani iudicii, ita censere, ut possit sumi sicut *οὐκ ὀνομαστός* Homeri et Hesiodi. nam quis Romanorum nominandi

uerbo sic usus est? nec Horatium tam *κακόζηλον* fuisse putauerim, ut graecam et praesertim homericam dictionem latino uerbo eo exprimere institueret, quod a tali notione plane alienum esset. ne Vergilius quidem, qui tam multis Homerum imitatus est, sic loqui ausus est. latini dicebant 'infandum.' ergo et nominatis et ominatis respuenda sunt, reponendumque lenissima mutatione cum Bentleio aptissimum *inominatis*. 'male' enim si cum uerbo, cui mali notio inest, iungitur, non minus augere quam minuere adiuncti uoc. significationem potest.

Inpermissus. c. III, 6, 27: 'neque eligit cui donet inpermissa raptim gaudia.' idem Oudendorpius in recentiore poeta restituendum censet non inprobabiliter (u. Burm. Anthol. lat. I p. 143). pessime nuper in hoc uoc. inuectus est Paldamus Mus. Rhen. t. VI, 633 (a. 1848) his uerbis: Zu beklagen ist, dasz wir nicht über die Lesart der Blandinii unterrichtet sind. Bentley bemerkt, inpermissa sei lectio priscarum edd. et plurium codicum (also sehr schwache Autorität), während intermissa ausdrücklich als Lesart guter Hdss. von Bersmann, Pulm., Bentley, Orelli, Vanderbourg notirt und von Acro bestätigt wird. Wie malerisch ist dieses intermissa, wie farb- und geschmacklos das mönchische *ἅπαξ λεγόμενον* 'inpermissa', welches, streng genommen, nach römischen Begriffen gar nicht einmal wahr ist, da die Frau surgit non sine conscio marito. — atque aliud certe agebat uir doctissimus, cum haec scripsit. Bentleius enim cum adnotat: 'Pulmanni codex et Galeanus noster, 'intermissa'; alter Pulmanni, et Achillis Statii liber, 'improuisa.' sed recte habet priscarum editionum et plurium codicum lectio, 'inpermissa gaudia'; etsi nemo ueterum, quod meminerim, hanc uocem usurpauerit"; hancine recte dixeris 'eine sehr schwache Autorität?' immo maxima 'inpermissa' nititur auctoritate. sed nescitur uulgo, quam admirabilis Bentleii opera sit in recensendo Horatio, in qua re tanta diligentia tantoque iudicio ubique uersatus est, ut etiam ubi silet de codicum lectione, id quod recepit in optimis codicibus extare conligendum sit. itaque hoc loco cum dicit 'plurium codicum lectionem esse inpermissa', id non ita aestimandum est, quam si I. Henryus in Philologi nouissimo tomo (XVII p. 629) in Aduersariis Virgilianis dicit "weil von 47 handschr., die ich geprüft habe, 42 'templa' und nur 5 'templum'

lesen", sed etiam fidem pretiumque singulorum codd. eum respexisse ueri simile est; et habuit quattuor optimos. insuper Bernensis uetustissimus inpermissa' habet. sed iam missam faciamus codicum auctoritatem et ipsam rem age consideremus. igitur 'inpermissus' quo iure a Paldamo 'mönchisches ἅπαξ λεγ.' nominetur, nullus uideo. formatumst enim rectissime. an forte, quia deconpositum est? at inresectus, inretortus, inreuocatus, inemori Horatii sunt et aeque ἅπ. λεγ. certe quo alio nomine illud uoc. Paldamo displicuerit nescio. quae uero postremo loco disputat eiusmodi sunt, ut aliud eum egisse plane arguant. nam ipsa illa Horatii uerba quae insequontur 'sed iussa coram non sine conscio surgit marito' argumento sunt, inpermissa illa gaudia Horatio uisa esse. dicit enim: '*Neque* eligit cui inpermissa gaudia donet, *sed* iussa coram non sine conscio surgit marito.' — ceterum dictiones illius 'inpermissa gaudia' similes conparauit Bentleius, quem adeas.

Inresectus. epod. 5, 47: 'hic inresectum saeua dente liuido Canidia rodens pollicem', i. e. pollicis unguem non resectum. 'resecare unguem' Colum. 6, 12, 3; Valer. Max. 3, 2, 15; 'resecare capillos' Ouid. met. XI, 182; 'coma et barba resecta' id. Trist. V, 7, 18 et IIII, 10, 58, 'praesectum unguem' Horatius a. p. 294 dixit. — nil dicam de peruersa quorundam interpretatione ut sit pro 'ualde sectum', qua de u. I. Fr. Gronouii obseru. I, 23.

Inretortus. c. II, 2, 23: 'quisquis ingentis oculo inretorto spectat aceruos'; quod cum sit 'oculo non retorto', uidendum est primum, quid significet 'oculum s. oculos retorquere', ut caueamus a multorum interpretum erroribus. Cic. Catil. II, § 2: 'Iacet ille nunc prostratus, Quirites, et se perculsum atque abiectum esse sentit, et retorquet oculos profecto saepe ad hanc urbem, quam e suis faucibus ereptam esse luget.' retorquet igitur oculos ad urbem quam curat, quam habere auet. sic Silio XII, 729 'respectans abit' is qui inuitus abit. igitur nostro loco oculum non retorquet ad aceruos is, qui eos contemnit nec possidere optat. at uero, quae Horatius dicit, 'spectare inretorto oculo' i. e. non reflectens oculum ad aceruos, nonne ἀσύστατα sunt repugnantque secum? quis enim potest spectare aliquid, quod a tergo est, nisi oculum retorquet? atque is quidem scrupulus summis uiris iniectus esse uidetur, quod aut

neglegentiae reum facerent Horatium (u. Meinekium in praef. p. XIII), aut in simplici interpretatione non acquiescentes in diuersa abirent, ut Scaliger, Lambinus, eumque secutus Gesnerus. mihi uero, nisi egregie fallor, hoc modo subueniendum esse Horatio uidetur. 'Inretortus' enim, participii temporali notione exuta, ut in multis aliis fit, nescio an significet 'qui omnino nunquam retorqueri potest', intetorquibilis', ut barbare loquar. hoc modo, opinor, offensio illa tollitur, ut simul spectet et auertat oculum. — certe Scaligeri et Lambini explicationes ferri nullo modo posse mihi uidentur. Ios. Scaliger enim (epist. 195) 'nihil certius esse putat, quam Horatium graeca expressisse, quando inuidorum et cupidorum oculi dicantur *διαστρέφεσθαι* et *σκαμβοῦσθαι*'; at illa, si quid iudico, non possunt latine per 'retorquere' reddi, immo 'distorquere.' et Lambinus longissima disputatione meras nugas narrare mihi uidetur. 'inretorto oculo spectat is, qui aurum rectis oculis intueri potest: cuius ea est oculorum animi acies, ut auri splendore non offendatur, neque praestinguatur, i. e. qui ita aspicit, ut non concupiscat, aut corrumpatur. est autem metaphora ducta ab iis, qui oculorum uitio lucem aspicere non possunt: sed oculos ab ea demouere atque in aliam partem reflectere coguntur; unde natae sunt hae et apud Graecos et apud Latinos loquendi formulae: *ὀρθοῖς ὄμμασι προςβλέπειν, ἀσκαρδαμύκτοις, ἀτρέπτοις* i. e. rectis, fixis, immotis, non reflexis [immo non deflexis] oculis intueri, i. e. sine dubitatione, et sine metu aspicere' et q. s. — at oculis fixis rectisue ea res adspici non potest, quae aut tam splendet, ut oculis coniuendum sit, aut tam terreat et conmoueat mentem, ut contra adtollere oculos non queas. quorum neutrum in aceruos auri argentiue cadit. quid quod Lambini interpretatione plane contraria atque quam Horatius uoluit efficitur sententia. quippe, qui ita spectat aceruos (Lambini uerbis utor) ut oculos non retorqueat, sed eos in aceruis defixos habeat, eius animus diuitiis adlici uidetur, eum concupiscere, non neglegere diuitias dicas.

Inreuocatus. ep. II, 1, 223: 'cum loca iam recitata reuoluimus inreuocati.' — 'reuocari' proprie histriones dicuntur, cum repetere aliquid iubentur. Cic. pro Sest. 56 § 120 (Roscius) 'reuocabatur ab uniuersis'; et 58 § 123: 'miliens reuocatum est.'

deinde etiam de aliis: Cic. pro Archia 8 § 18: 'quotiens ego hunc Archiam uidi ... magnum numerum optimorum uersuum ... dicere ex tempore. quotiens reuocatum eandem rem dicere conmutatis uerbis atque sententiis.' — Plinius ep. 3, 5, 12: "memini quendam ex amicis, cum lector quaedam perperam pronuntiasset, reuocasse, et repeti coegisse: huic auunculum meum dixisse 'intellexeras nempe?' cum ille adnuisset, 'cur ergo reuocabas'?" — idem uoc. apud Ouidium (met. XI, 401) legebatur in hoc uersu 'sed enim inreuocatus ab acri caede lupus perstat.' sed cum is codex, cuius maxima auctoritas est, habeat: 'sed enim reuocatus in acris', recte Merkelius sic scripsit correcto dumtaxat scripturae mendo 'acris', nec id Nic. Heinsius inprobauerat.

Inruptus. c. I, 13, 18: 'quos inrupta tenet copula'; graece *ἄρρηκτος*. Statius Silu. V, 1, 44: 'nec mirum, si uos collato pectore mixtos iunxit *inabrupta* concordia longa catena.' Ouidius ep. ex Ponto I, 2, 20 'arcus — *uincula* semper habens *inresoluta* manet.'

Intaminatus. c. III, 2, 18: 'uirtus — intaminatis fulget honoribus.' i. e. non contaminatis. — Sulpicius Seuerus II, 21 'intaminatus' habet, si fides editionibus constat, ut docuit Bentleius. Varro, Liuius aliique 'incontaminatus' usurparunt, idemque in Vulgata Interpret. extat, quare credibile est hoc ut notum uerbum a librariis pro ignoto illo 'intaminatis' interpolatum esse; exhibetur enim a quibusdam codd. non optimae notae. 'intaminatis' uero cum et maiore codd. auctoritate nitatur, et, ut Bentleius demonstrauit, recte formatum sit, ab Horatio profectum esse puto. Bentleius magis ad 'incontaminatus' inclinat, ideo, ut uidetur, quod conpositum 'intaminatus' diuersam plane significationem haberet, ut sit *μιανθείς*, quo Cyrilli glossa interpretatur, ab uerbo 'intaminare.' sed haec quidem offensio mihi non tanti habenda esse uidetur. nam multa uocabula cum 'in' particula conposita in utramque notionem usurpabantur, ea tamen, ut consentaneum est, cautione adhibita, ne in utram partem intellegenda essent, dubium esse posset. subieci omnia, quae nunc extant, eis quae inferioris aeui sunt uncis inclusis: *inlaqueatus*, (inmixtus), inmutatus et inmutabilis, (inmutilatus), inpugnatus, *inputatus*, incitus, inclinis, incoctus,

(incruentatus), indictus, (infectio), infectus, inficiens, (infractus), infrenatus, (insciens), inseptus, insepultus, insequenter, (insessus), insomnium, insuetus, intectus, *intemptatus*, intonsus, intritus, (inuidere), inuisus, inrasus, *inruptus;* quorum quae scripturae genere conspicua reddidi, ab Horatio adhibentur. nec sane Horatio illo carminum loco uerbi 'intaminatus' ambiguitas timenda erat.

Iam cetera adiectiua, quae cum particula conposita sunt, persequar.

Abnormis. s. II, 2, 3: 'Ofellus rusticus, abnormis sapiens crassaque Minerua.' Cruquius ad haec adnotat: 'haud aliter in omnibus scriptis codicibus, praeterquam tribus Bland. uetustiss. qui habent, abnormi sapiens crassaque Minerua.' — nequis autem hinc concludat, Blandiniorum codicum antiquissimum 'abnormis' habere, sciendum est, falli eos, qui Cruquium putent eum codicem 'quarti' nomine insignire, quod et abhorret ab illius aetatis doctorum more et redarguitur certis exemplis. uelut ad ep. I, 18, 15 Cruquius adscripsit: 'Bland. antiquiss. habet —, duo alii Blandin. —, quartus Bland. —.' melius, etsi non certo, concludas ex eo, quod Gothanus liber, qui ex codice Blandinii antiquissimi simillimo descriptus est, habet 'abnormis.' Bentleius 'abnormi' inuenit in Leidensi, Batteliano et tribus aliis. codices igitur pariter utrumque tuentur. iam diiudicet Bentleius, qui 'quaeritur iam, inquit, utrum sit praeferendum, 'abnormi' et 'crassa Minerua', an 'abnormis sapiens.' mihi quidem posterius magis placet. sapiens hic idem est ac philosophus. quemadmodum autem Stoicus sapiens, Academicus sapiens, pro sectae ratione dicitur: ita Ofellus erat abnormis sapiens, hoc est, sapiens nullius normae, nullius sectae et disciplinae, *αὐτοδίδακτος,* natura et moribus, non doctrina et disciplina sapiens. Cicero in Laelio c. 5. a Lambino hic olim citatus: 'numquam ego dicam C. Fabricium, M'. Curium, Ti. Coruncanium, quos Sapientes nostri maiores iudicabant, ad istorum (Graecorum) *normam* fuisse *sapientes*.' ergo abnormis sapiens recte dicitur et eleganter: abnormis uero Minerua non ita concinne, meo quidem iudicio.'

Circumuagus. epod. 16, 41: 'nos manet Oceanus circumuagus: arua, beata petamus arua, diuites et insulas.' i. e. qui

terram ambit. idem uoc. habet auctor Paneg. in Pison. 19 de sole: 'circ. moles aetheriae flammae'; et Prudent. Psych. 812 'circ. arca.' — *Circumuagari* Vitruuius 5, 8 'loci, in quibus circumuagando coacta uox.' — similiter Oceanus ab Ouidio met. I, 30 circumfluus humor dicitur ('circ. humor extima possedit solidumque coercuit orbem') et circumfluus amnis XV, 739. adposite Lambinus contulit ex Cicer. de rep. VI, 20: 'omnis enim terra — circumfusa illo mari, — quod Oceanum adpellatis', et ex Catull. 64, 30 (p. 43, 7) 'Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem'; et Peerlkampus ex Rutilii Itin. I, 56: 'qua circumfusus fluctuat Oceanus', ubi circumfluus et circumfusus absolute ponuntur, ut circumuagus apud Horatium; haec enim praeferenda est interpunctio, ut in sequentibus elegantissima anaphora 'arua' repetatur, receptaque est Lambino, Cruquio, aliis, quos Bentleium et Peerlkampum non secutos esse merito mireris. Bentleius post 'arua beata', Peerlkampus post 'circumuagus arua' distinxit, 'circumuagus' adiectiuo cum causatiuo casu 'arua' constructo, id quod mihi, nisi ualde fallor, plane fieri non posse uidetur.

Depugis. s. I, 2, 93. Graecum *ἄπυγος*. atque hanc quidem uocem, quae hybrida sit, non putauerim ab Horatio fictam esse, mirumque, ni Lucilius in saturis ea usus esset.

Postgeniti. c. III, 24, 30: 'clarus postgenitis' i. e. posteris.

Praecanus. ep. I, 20, 24: 'corporis exigui, praecanum, solibus aptum' se ipsum dicit, i. e. ante tempus canum, praeproperam canitiem habentem et ante tempus albescentem, ut Cruquii comm. ait; idque apte conuenit cum Horatii aetate, qui cum haec scriberet XXXXIIII annos natus erat. non igitur confugiendumst ad alteram interpretationem, ut sit 'ualde canus.' nam quod nullo praeterea adiectiuo cum 'prae' temporali conposito utitur Horatius, id certe offendere nos non debet nec mirum est propterea, quod id genus adiectiua omnino perpauca extant; collecta infra posui: praeconpositus (apud solum Ouidium), praecox, praedispositus (ap. solum Liuium), praediuinus (ap. Plinium) (praeesus in notis Tiron.), praematurus, praemetuens, praesagus, praescius, (praetaesus in not. Tir.), praetinctus.

Vepallidus. s. I, 2, 129: 'uepallida lecto desiliat mulier', i. e. male pallida. iam antiquitus hoc uerbum scrupulum inie-

cisse grammaticis documento sunt scholia. Bentleius uero, qui acrem ei litem intendit delendumque esse censet, recte ab Gesnero et explicatius ab Heindorfio refutatus est. 'ue' enim particula in conpositione semper uitium notat, uelut 'uegrandis' dici potest et qui maior iusto et qui minor est. Gellius, qui V, 12 et XVI, 5 de ea particula disputat, non clare perspexit eius naturam. quod autem Bentleius 'in ambiguae, inquit, uocis uepallida usu ridendus foret Horatius', non magis ei certe in hac uoce et illo loco ambiguitas timenda erat, quam eis qui 'male' cum adiectiuo iuncto uterentur, siquidem ex totius sententiae conexu et serie utro modo uitiosum intellegendum esset ultro perspici posset. 'Ne' autem Bentleii, ut recte iudicat Gesnerus, cursum orationis intercipit et eam reddit languidam.

Alius generis sunt *centiceps* et *tauriformis*.

Centiceps. c. II, 13, 34: 'quid mirum, ubi illis carminibus stupens demittit atras belua centiceps auris et intorti capillis Eumenidum recreantur angues?' — *Κύων Ἀΐδαο* qui uocatur in carminibus Homericis (Il. *Θ*, 368; Od. *λ*, 623), primum in Theogonia Hesiodea (310) *Κέρβερος* nominatur, ubi Echidna a Typhaone *Ἀΐδεω κύνα χαλκεόφωνον πεντηκοντακάρηνον* parit. ac plerumque quidem tria ei capita tribuuntur. Soph. Trach. 1098 *Ἅιδου τρίκρανον σκύλακα*. Eurip. Herc. fur. 611, 1277. Apollod. II, 5, 12. Hermes. ap. Athen. (el. 12), *τριστοίχοις δεῖμα φέρον κεφαλαῖς*. Cic. Tusc. I, 5, 10 'triceps Cerb.', Vergil. A. VI, 417 'Cerberus haec ingens latratu regna trifauci personat.' Georg. IIII, 483 'tenuitque inhians tria Cerberus ora.' Lygdamus 4, 88 'cui tres sunt linguae tergeminumque caput'; Prop. IIII, 5, 43 'tribus infernum custodit faucibus antrum Cerberus.' Ouid. met. IIII, 450 'tria Cerberus ora' (ubi M. Hauptii adn. uide). Statius silu. II, 1, 184 'illum nec terno latrabit Cerberus ore.' — centum Cerberi capita praeiuerat Horatio Pindarus, si fides Venetis interpretibus A et B ad Il. *Θ*, 368, ut Naekius opusc. I, p. 73 ait, qui falsam esse docuit scholiastae interpretationem: 'centiceps Cerberum dixit propter multitudinem anguium qui in capite eius eminebant', eamque secutus in capite, non in tergo Cerberi serpentes posuit 'tenebrio ille' qui foedissimas illas sordes c. III, 11, 17—20 interpolauit (cf. Buttmanni Mythol. II, 367).

Tauriformis. c. IIII, 14, 25: 'sic tauriformis uoluitur Aufidus'; graecum ταυρόμορφος. de qua re satis habeo ad C. O. Muelleri archaeol. enchir. § 403 et Scheiffelium (in Paulyi Real. i. u. 'Tauriformis') relegasse. cf. Festum in 'Taurorum.' personatus Ouidius ep. 16, 265: 'Acheloia cornua' dixit. cf. Vergil. G. IIII, 371. Aen. VIII, 77. Ouid. Met. XIIII, 602 et Martial. X, 7, 6. ceterum haec praeterea extant adiectiua in 'formis' exeuntia: bif., trif. (quibus Horatius quoque utitur), def., inf., multif., semif., transf., unif.; posteriorum sunt saeculorum: conf., millef., (quadrif. not. Tiron.), septif.

Denominatiua adiectiua haec apud solum Horatium leguntur:

Beluosus. c. IIII, 14, 47: 'beluosus qui remotis obstrepit Oceanus Britannis.' i. e. beluis abundans. eodem uerbo usus est Auienus or. marit. 204. sic Horatius c. III, 27, 26 in Europae fabula dixit 'scatentem beluis pontum.' Peerlkampus cum Romanos ait melius nouisse Oceanum, quam ut tempore Horatii etiam adpellarent beluosum, argutari mihi uidetur. neque enim tunc illam Oceani partem probe nouerant et plus centum annis post Pausanias (I, 4, 1) scribit: (Oceanus Gall.) παρέχεται θηρία οὐδὲν ἐοικότα τοῖς ἐν θαλάσσῃ τῇ λοιπῇ, quem l. Orellius adposite cum aliis adtulit.

Iambeus. a. p. 253: 'syllaba longa breui subiecta uocatur iambus, pes citus, unde etiam trimetris accrescere iussit nomen iambeis' et q. s. est graecum ἰαμβεῖος, quam formam praetulit illi 'iambicus' (quae tamen nunc apud solos grammaticos posteriorum saeculorum inuenitur), quia 'iambicus' nisi nominatiuo casu commode non poterat uersu dicere. praeterea eiusdem terminationis graecae adiectiua haece Horatius habere solus uidetur: *Bioneus* ep. II, 2, 60 Βιώνειος; *Centaureus* c. I, 18, 8 Κενταύρειος; *Daedaleus* c. II, 20, 13 et c. IIII, 2, 2 Δαιδάλειος. (Daedalius Prop. III, 14, 8. Daedalicus Venant. 10, 11, 17.) — *Niobeus* c. IIII, 6, 1.

Homereus. a. p. 120: 'scriptor Homereum si forte reponis Achillem.' — est haec necessaria Bentleii emendatio pro eo quod traditum est 'honoratum.' ac primum quidem formationem 'Homereus' recte habere demonstrauit Bentleius. praetulit alteri 'Homericus', quae saepe etiam nunc legitur, quia nisi in nomi-

natiuo casu uersui commoda non esset. id quod Peerlkampus (p. 65) negat: 'nam statim tibi, inquit, Achillem Homericum in uersu Hexametro repraesentabo: scriptor si fortasse reponis Homericum Achillem. in quo uersu hic nihil est duri.' — at, pace tanti uiri dixerim, hoc si uerum est, nil intra est olea, nil extra est in nuce duri. — et praetulit 'Homereum' formam huic 'Homeriacum', propterea quod graecis 'Ὁμήρειος magis placuerit. nec inprobabiliter restituendam eandem censet Priap. 68, ubi codices mendose 'meracas' aut 'mericas' (u. Scalig., et Burm. Anthol. lat. I, p. 536) et epigrammati Burm. Anthol. I, p. 357 ubi Vossianus 'Homeraeo' exhibet. — Sueton. Ner. 47 forma 'Homerius' utitur. — sententiae uero ut 'honoratum' codicum ineptum, ita 'Homereum' Bentleii aptissimum est. multos enim uideo 'honoratum' eis argumentis tueri, quae nulla esse Bentleius iam euicit; quare de his nil dicam. Peerlkampus autem (p. 66) argutari mihi uidetur, dum Bentleii arma contra ipsum uertit. Horatius enim hoc dicit: 'Famam sequere; ut, si Homereum Achillem reponere instituis, ne ei aliud ingenium aliosue mores tribuas, quam Homerus, sed inpigrum, iracundum et q. s. describas.'

Deinde alius inflexionis graecanicum *Lesbous* c. I, 1, 34. Porro *Sătureianus* s. I, 6, 59: 'non ego circum me satureiano uectari rura caballo, sed quod eram narro.' — oppidum est *Σατύριον* in oraculo ab Strabone VI, p. 279 Cas. ex Antiocho sumpto, prope Tarentum situm (ubi *Σατύριον* prima producta positum est metri necessitate); Stephanus Byz: *Σατύριον, χώρα πλησίον Τάραντος. Τὸ ἐθνικὸν Σατυρῖνος καὶ Σατύριος.* Horatii loco utitur qui scholion ad Verg. Ge. II, 197 scripsit, quod apud Seruium legitur, pessimae ille certe doctrinae iudiciique grammaticus et uix satis antiquus. sic enim haec Vergili uerba interpretatur: 'saltus et saturi petita longinqua Tarenti': aut quod est iuxta oppidum Saturum. Tarentum enim et Saturum uicinae sunt sibi Calabriae ciuitates. Horatius et q. s.' — nec melioris notae sunt haec apud Seruium ad Verg. Georg. IIII, 335: 'Hyali saturo fucata colore', 'Saturo aut certe Tarentino, ab Saturo Tarenti oppido; iuxta Tarentum enim sunt baphia, in quibus tingitur lana.' sic scripsi cum Vrsino, cuius cod. 'Saturo [illegible]i oppido' habet. — et recte quidem habet forma *Satu-*

reianus, nam olim certe extabant etiam Saturīum et Satureium. ut notum est Turpuleius, Turpulīus, Turpilĭus; Verguleius, Vergilius; Casseius, Cassīus, Cassĭus; Placideianus, Placidianus (u. Gruteri Thes.) formas in usu fuisse. — cum tamen hoc reputarem, satureianos equos nobiles magnique nominis equos fuisse debere, mirarerque propterea, nusquam alibi conmemorari de eis atque adeo ne id quidem a quoquam referri, aptam esse illam regionem equis, subrepsit animum opinio, scripseritne Horatius: 'non ego circum me *sata ureiano* uectari rura caballo.' Strabo enim l. VI, p. 284 *κάμπτοντι δὲ τὴν ἄκραν* [*Γάργανον*] *πολισμάτιον Οὔρειον* (s. *Οὔριον*), ... *ἔστι δὲ πᾶσα ἡ χώρα αὕτη παμφόρος τε καὶ πολυφόρος, ἵπποις δὲ καὶ προβάτοις ἀρίστη.* idem oppidum a Ptol. III, 1, 17 *Ὕριον* nominatur; ut autem Hyrie et Hyrieus primam corripiunt (Ouid. Met. VII, 271 et 380; Fast. V, 499; VI, 719) sic Hyrion s. Vrium. quare nescio, quomodo tueri queant 'Vrios' qui apud Catull. c. 36 p. 19, 12 coniectura scripserunt. — 'sata rura' dixit, ut Cicero Verr. II, 3, 47 'iugera sata'; Tibullus II, 3, 8 'arua serenda' et II, 3, 70 'sulcos satos'; Ouid. A. A. 2, 668 'serendus ager.' nec uero audax illa est traditarum litterarum mutatio, nam olim saepe pro more ueteri scribebant non 'sata ureiano', sed altero a extrito *satureiano*, quo de uideas Bentleium ad serm. I, 4, 25 et I, 2, 30. — et sic optime quadrant, quae Porph. ait: 'sat. nomine fundi in Apulia illis temporibus fuisse dicuntur' et q. s. non enim memini scholiastas Apuliam et Calabriam Apuliae nomine conprehendere. ut autem non temere contenderim sic scripsisse Horatium, ita tamen sic scribere potuisse concedendum est. — postremo *Theoninus* ep. I, 18, 82.

Hactenus de adiectiuis. progrediamur iam ad uerba. quae cum omnia aut ex praepositionibus et uerbis usu tritis conposita aut a nominibus item usitatis deriuata sint, probabile esse uidetur, unum quodque posse ab Horatio factum esse; certe ex analogia omnia formata et tam apta suo quodque loco sunt, uix ut alterum, quod pariter ad sententiam faciat, substituere possis.

Ampullari. ep. I, 3, 14: 'an tragica desaeuit et ampullatur in arte?' *ληκυθίζει.* miscent hic aliquot interpretes diuersos plane uerborum *λήκυθος*, *ληκυθίζειν*, ampulla, ampullari usus,

dum omnia qualiacunque sunt exempla conferunt. nam cum *λήκυθος* uas pigmentorum esset, hinc ad ornatum orationis significandum adhibebatur, uelut Cic. ep. ad Att. I, 14 'totum hunc locum quem ... soleo pingere, de flamma, de ferro (nosti illas *ληκύθους*) ualde grauiter pertexuit; et Plin. ep. I, 2. sic *ληκύθιον* quoque apud Synes. p. 55 C.: *ληκύθιον αἰτεῖν* i. e. orationis ornamenta captare, et *ληκυθίζειν θέσεις* apud Strab. XIII p. 609 i. e. locos communes pertexere. — apud Horatium autem ipsa sententia requirit, ut alia notione 'ampullari' accipiatur. *λήκυθος* enim siue propter *βόμβον* qui *γίνεται περὶ τὸ ληκύθιον ἐκ τοῦ ἐμπεριεχομένου αὐτῷ ἀέρος κινουμένου, ἢ ὑπὸ πνεύματος ἀνδρὸς ἢ ὑπ' ἄλλου* (uerba sunt schol. Hephaest. 6, 1) seu quia *λήκυθοι* ut ampullae 'uasa uentricosa (l. uentruosa) erant, adhuc enim ampullas uocamus quasi inflata uasa' (ut schol. Cruquii et Acro ad a. p. 97 inquiunt), significauit 'inflata, grandia uerba, orationem tumidam, *τὸν βόμβον τὸν τραγικόν* (ut schol. Hephaest. ait l. l.) (cf. *ληκυθιστής, κοιλόφωνος* apud Hesychium et *ληκυθίζειν* ap. Polluc. IIII, 114; schol. Aristoph. Ach. 589. Bekk. An. p. 50, 8), unde Callimachus tragicam Musam *Μοῦσαν ληκύθειον* adpellauit (u. frgm. 319 B), itaque Horatius a. p. 97 dicit: 'proicit ampullas et sesquipedalia uerba', i. e. grandem, tumidamque orationem omittit et humili sermone utitur. illo igitur epistularum loco Horatius dicit in poetam ipsum translatis quae poeta fabulae personis tribuit: tragica ampullatur in arte i. e. tumide, grandius, ut in tragoedia, loquitur ut paullo antea dixit: 'interdum tamen et uocem comoedia tollit, iratusque Chremes *tumido* (i. e. 'tragoedia digno' Cruq. schol.) delitigat ore et tragicus pl. dolet *sermone pedestri* Telephus et Peleus' (cf. Bentl. ad. c. I, 34, 6). — 'ampullari' uerbum O. Iahnius restituendum esse censuit (in Philol. I, 171) Persii uersui tali (5, 19). 'non equidem hoc studeo *ampullatis* ut mihi nugis', ubi libri 'pullatis' habent, probante Lachmanno (comm. Lucr. VI, 1067 p. 414), qua coniectura sententia certe optima efficitur. caesura tamen legitima necne sit, grammatici certant (u. Lachmann. l. l. et Luc. Mueller. de re metr. p. 196).

Graecari. s. II, 2, 11: 'si Romana fatigat militia adsuetum graecari.' i. e. graeco more uti, graecum morem sequi. 'congraecare' Plautus Bacch. IIII, 4, 91 (743), 'pergraecari' id. Mostell.

I, 1, 21 et Titin. apud Paul. e Festo p. 215; 'graecissare' Plaut. Men. pr. 11 (i. e. graecum sermonem imitari). — 'graecatior epistula' Appul. de mag. 87. 'graecati' Tertull. de pall. 4 (u. Salmasium ad Tertull. de pall. p. 360).

Iuuenari. a. p. 246: 'ne — nimium teneris (fauni) iuuenentur uersibus unquam.' formatum est ex graeco *νεανιεύεσθαι*, ut Gesnerus recte ait. Gloss. Philox: iuuenor, *νεωτερίζω* (quod tamen hac significatione nusquam inueni, quamquam *νεωτερικός*). — Varro dixit 'adulescentiari', Laberius 'adulescenturire.' schol. Cruq.: 'satyri non debent iocari in poemate, ut nati uideantur aut in triuiis aut in foro, i. e. iocus eorum non sit urbanus et delicatus, sed habeat rusticitatem.'

Scurrari. ep. I, 17, 19: 'scurror ego ipse mihi, populo tu,' et ep. I, 18, 2: 'scurrantis speciem praebere, professus amicum.' i. e. scurram agere.

Abludere. s. II, 3, 320: 'haec a te non multum abludit imago.' — 'abludere' contrarium est 'adludere.' ergo dicit 'haec imago prope ad te adludit.' non extat apud Graecos uerbum quod huic plane respondeat; nam, quod conparatur ab interpretibus *ἀπᾴδειν*, discrepat. *ᾄδειν* enim non est 'ludere.' graece dicere licet: *οὗτος ὁ μῦθος αἰνίττεται πρὸς σέ* uel *αὕτη ἡ σύγκρισις οὐ πολὺ ἀπεμφαίνουσά ἐστιν.* 'abludere' igitur Horatius non ad graeci alicuius uerbi similitudinem finxisse uidetur. — praeterea cum his praepos. conpositum inuenitur 'ludere': ad, de, con, e, in, ob, per, re.

Abstare. a. p. 361:

ut pictura poesis: erit quae, si propius stes,
te capiat magis, et quaedam, si longius abstes.

idem est quod *ἀφίστασθαι*. Vitruu. 9, 1, 11 subst. 'abstantia' habet. Orellius hic sibi uisus est causam reperisse, cur 'praeter h. l. raro aut numquam [immo plane numquam] usurpatum sit: 'propter sonum asperiorem.' uidelicet scit quod Iuno fabulatast cum Ioue. equidem scio, non asperiore sono 'abstare' efferri quam 'adstare', 'abstrahere', innumeraque alia. — ceterum Bentleius 'abstare' restituendum censuit ep. I, 18, 58: 'ac ne te retrahas et inexcusabilis *absis*', nimis reformidans eiusdem uerbi repetitionem (quode u. quae ad 'Faustitas' diximus), nec ad sententiam magis 'abstes' quam 'absis' facere uidetur. nam tametsi

qui se retrahit abstare siue absistere recte dicitur, idem tamen quom se retraxit, abest.

Adlaborare. ep. 8, 20: 'ore adlaborandum est tibi.' i. e. ad aliquam rem laborare. rem tetigit Lindenbr. ad Priap. 12. — et c. I, 38, 5 'simplici nihil adlabores sedulus, curo.' i. e. laborando addere. 'uelim nihil praeter myrtum ad conuiuii adparatum adhibeas.' (de constr. u. Lachm. Lucr. p. 362). — praeterea delab. (semel), elab., inlab. (semel) extant.

Adsuere. a. p. 16: 'unus et alter adsuitur pannus.'

Circumgemere. epod. 16, 51: 'nec uespertinus circumgemit ursus ouile.' — gemere de ursi uoce dixit etiam Ouidius met. II, 486: 'mens antiqua tamen facta quoque mansit in ursa, adsiduoque suos gemitu testata dolores' et fast. II, 185: 'illa quidem (Callisto in ursam transformata) tanquam cognosceret adstitit amens et gemuit: gemitus uerba parentis erant', quos locos debeo Hauptii adnotationi ad met. l. c.

Conscire. ep. I, 1, 61: 'hic murus aeneus esto: nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.' haec uerba cum Augustus Meinekius ab interpolatore obtrusa Horatio esse censuerit et ipse in marginem deiecerit, argumentis usus ualde speciosis nec a quoquam adhuc refutatis, mihi iam periculum faciendum erit in hanc rem inquirendi, et ita quidem ut ab singulis initium faciam. ac primum quidem 'dicti ambiguitas, inquit, arguenda est: quid enim impedit quo minus illa in contrariam partem interpreteris, ut summus animi torpor commendetur et frontis tanta impudentia, ut ne pallescas quidem ob crimina? nil enim conscire sibi eorum est, qui neque bonae neque malae rei habent conscientiam.' — sed cum toto loco de uirtute, de morum integritate, de recte faciendo ab Horatio disseratur, quicumque simplici et integro iudicio accedit, haec uerba non potest aliter intellegere, quam ut iis bona conscientia et culpa uacuus animus conmendentur. falli enim eos, qui 'conscientiam' et 'conscire' per se de iis dici posse existiment, qui aliquid mali sibi conscii sint, ut deinde Meinekius ait, equidem dubito. quippe 'conscius' et 'conscientia' et similia media sunt uerba, semperque aliud quid secum trahunt, cuius quis conscius est, idque aut diserte nominatur aut si ex sententia per se patet omittitur; itaque permulti loci extant, quibus conscius animus et con-

scientia absolute ponuntur. a. ad Herenn. II, § 8: 'accusator dicet, si poterit, aduersarium cum ad eum uentum sit, erubuisse, expalluisse, titubasse, inconstanter locutum esse, concidisse, pollicitum esse aliquid: quae signa conscientiae sunt.' Plautus Most. III, 1, 13 'nil ést miserius quam ánimus hominis cónscius.' — sic nostro loco 'nil conscire sibi', quod est 'nullius rei sibi conscium esse', malam rem intellegendam esse ex totius loci ratione ultro perspicitur. — quod ad ipsum uerbum 'conscire' adtinet, negari non potest, et ex analogia formatum esse et ex analogia illam habere notionem quam conscius et conscientia, ut nescit nescius, praescit praescius; deinde nec hoc scrupulum nobis inicere debet, quod 'conscire' uerbum hac notione (et fortasse omnino) nisi apud Horatium nusquam legimus; nam centum fere uocabula, quae Horatius solus habet, hac scriptione collegimus, et mox fortasse non pauciora esse ostendemus, quae aliqua significatione singularia sint; nec id offendere debet, quod ex XII tabulis apud a. ad Herenn. II, 13, 20 et Gell. XVII, 2, 10 'conscire causam', i. e. cognoscere causam, relatum legimus. nam meliores libri utriusque scriptoris 'conicito' uel 'coniciunt' exhibere uidentur; quare lubricum mihi uidetur cum Lachmanno (comm. Lucr. p. 349) apud Gellium V, 10 pro 'consistendae', quod in codicibus extare uidetur et glossam olet, scribere 'consciendae*que*.' sed utut hoc est, etiamsi 'conscire causam' proprium iuris uocabulum fuerit, tamen mihi contendi non debere uidetur, simplicem quae ex uerbi conpositi natura ultro enascatur significationem aut in usu esse aut a poeta adhiberi non potuisse.

Postremo de uniuerso illo sesquiuersu Meinekius haec disputat: 'lege sedato animo totam epistolam maximeque eam partem, cui ista inclusa sunt, nec dubito quin nihil a colore ceterorum magis alienum scribi potuisse fatearis.' de quibus ut recte iudicare possimus nec sicut multi interpretes illis uerbis patrocinaturi ad contortas explicationes delabamur, explicatius iam exponendum erit, primum quae sententia in illis insit, deinde quomodo haec sententia cum toto loco concordet. 'nil conscire sibi, nulla pallescere culpa' est bonae conscientiae esse, culpaque carere. hic murus aeneus esse dicitur. ubi cum murus aeneus translate positus sit, quaerenda sunt ea, quae muri

aenei propria sunt (nam ex propriis apta fit conparatio, non ex communibus); quae haece sunt: murus aeneus res firmissima est, quae cum nec prorui nec perfringi possit, tutos praestat eos, qui ea circumdantur. igitur bonae conscientiae esse culpaque carere res dicitur firmissima, quae tutos praestat eos qui ea circumdantur. ergo plane eadem sententia est, quam Horatius c. I, 22 profatur: 'integer uitae scelerisque purus' et q. s., i. e. homo innocens tutus est, cum ipsa innocentia eum satis munitum praestet. conparatio igitur proba est et sententia per se apta. 'murus' autem alibi quoque de firmo praesidio dicitur, ut apud Cic. Pis. 4: 'lex Aelia et Fufia euersa est, propugnacula murique tranquillitatis et odii.' Ouidius met. XIII, 280: 'Graium murus Achilles'; Diogenes Laert. VI, 105 Antisthenem refert *τεῖχος ἀσφαλέστατον φρόνησιν* uocasse, *μήτε γὰρ καταρρεῖν μήτε προδίδοσθαι.* nec haece exempla, quae Orellius contulit, mihi *ἀπροσδιόνυσα* esse uidentur: Pindar. frgm. 153 Diss. *σχήσει τὸ πεπρωμένον οὐ πῦρ, οὐ σιδάρεον τεῖχος.* Aeschin. Ctesiph. § 84: *χαλκοῖς καὶ ἀδαμαντίνοις τείχεσιν.* Lucian. de cal. non tem. cr. 20: *ἀδαμάντινον τεῖχος τῆς ψυχῆς προβεβλημένος.* Senec. ep. 82. — iam uero uideamus, haec sententia quomodo cum ceteris cohaereat. 'uilius argentum est auro, uirtutibus aurum. ex uulgi quidem opinione, quantumuis morum integritate praestes, si tamen exiguo censu es, contemneris; at aliter pueri ludentes, qui 'réx erit, qui récte faciet, quí non faciet nón erit' (u. Porphyr. et Isidor. or. 9, 3, 4) aiunt. hic sit murus aeneus, bene conscium sibi esse; dic sodes, utrum uulgi opinio an puerorum nenia melior est?' — in quibus conexum sententiarum non interrumpi, sed colorem tantum orationis inmutari concedendum est. quippe inde ab u. 62 interrogat quidem, 'dic sodes —'? et 'isne — suadet'? sed non ita, quasi incertum sit, uirtusne an pecunia quaerenda sit, et interrogationis quidem forma utitur, quae tamen sententia adfirmationem aequiparet (u. Maduig. op. II, 210). quodsi nihil aliud in his offendit, nisi coloris permutatio, critici non esse uidetur, tollere uersum, ne petitione labatur principii, praesertim cum hoc accedat, quod nisi post illa 'at pueri — rex eris aiunt, si recte facies' aliqua dicentur, quibus quodam modo alio flectitur [illegible]tio, plane superuacaneus erit uersus 63: 'nenia, quae regnum

recte facientibus offert' et male eadem repetet poeta breui internallo.

Deligitare. s. p. 94. i. e. ualde litig., quam 'de' part. notionem Acro melius h. l. quam s. I, 2, 93 adnotat.

Deproeliari. c. I, 9, 11: 'uentos aequore feruido deproeliantis, i. e. ualde proeliantis. cf. depugnare, delitigare, alia.

Denatare. c. III, 7, 28: 'nec quisquam citus aeque Tusco denatat alueo.' i. e. deorsum natat. — ex *nare* uel *natare* et praepos. conposita uerba haece sunt: abnatare (semel); adnare (Horat.) et adnatare; enare et enatare (Hor.); innare (Hor.), innatare (Hor.); praenatare; pronatare; renare (Hor.); subnatare; subternat. (semel apud Solin.); superenat.; supernat.; supranat. (semel ap. Vitruu.); tran. et transn. (Hor.); tranat. et transnat.

Diffingere. hoc uerbo Horatius ter usus est. est 'fingendo alicuius rei formam diruere, tollere.' ac nemo quidem ambigit de c. III, 29, 47: 'non tamen inritum, quodcunque retro est, efficiet neque diffinget infectumque reddet i. e. tollet, conuellet. — alter locus est s. II, 1, 79, ubi Trebatius ait: 'equidem nihil hinc diffingere possum.' Cruquius adnotat: 'in omnibus scriptis habetur *hinc.* deinde in antiquissimo cod. Bland., Mart. et Busl. *diffindere*, in tribus aliis Bland. *diffingere.* in Diuaes *defindere;* in Tons. *defringere.*' — codicum igitur auctoritate *diffindere* non minori quam *diffingere* nititur. atque interpretes quidem plerique Acronem secuti *diffindere* maluerunt; Bentleius uero demonstrauit, neque sententiam neque uerba ipsa apud Horatium procedere, si *diffindere* legatur et unicum *diffingere* amplexandum esse interpretandumque, nil ex his infirmare, refellere, refutare, conuellere, labefactare possum, et tam egregie ac luculenter demonstrauit, nihil ut equidem sanus hinc diffingere ausim. Orellii tamen animus ad Feae interpretationem inclinare maluit, lepidum et facetum senem opinantis uti quidem uerbo saepe a se audito et usurpato in iure ciuili, sed sensu proprio; quam interpretationem si Bentleius nosset, nae ille ambas buccas inflasset nec dignam habuisset, quam refelleret. — postremo c. I, 35, 39: 'o utinam noua incude diffingas retusum in Massagetas Arabasque ferrum.' — Cruquius ait: '*diffingas recusum:* hanc lectionem habet unus cod. Bland. duo uero cum Diu. et Sil. *diffingas retusum.* Maldeg. et Mart. *defingas re-*

tusum.' — *retusum* in omnibus Bentleii extat, *diffingas* in plerisque. ergo et *diffingas* et *retusum* codd. auctoritate praestat; et recte explicat Porphyrio: 'ἀμφίβολον, non est enim retusum in Massagetas accipiendum, sed in Massagetas diffingas. sensus est enim, utinam ferrum, quod retudimus in corporibus nostrorum bello ciuili, diffingas i. e. refabrices aduersus barbaros.' quamobrem acrius hic Bentleius quam uerius iudicare mihi uidetur. nam gladios, quia ciuili cruore polluti et conmaculati sunt, discutiendos censet Horatius, ut plane noui fiant; itaque recte incudibus renouantur, non cotibus tantum acuontur. — rectissime uero idem Bentleius s. I, 10, 37 'diffingit Rheni luteum caput' legendum esse negat, immo 'defingit' i. e. describit.

Disconuenire. ep. I, 1, 99: 'aestuat et uitae disconuenit ordine toto.' i. e. non sibi conuenit, constat; abhorret (apud Catull. 22 p. 12, 13). — ep. I, 14, 18 'eo disconuenit inter meque et te', ubi inpersonaliter positum est. i. e. non conuenit. — 'disconueniens est deo, ut' Lactant. de ira 3, 1 dixit; 'disconuenientia' habet Tertull. de test. anim. 6. cf. inconueniens, inconstans.

Disquirere. s. II, 2, 7: 'inpransi mecum disquirite.' — 'disquisitio' apud Auct. ad Her., Cic., Liuium, alios extat; quod proprium iuris uocabulum fuisse uidetur; 'disquirere' uerbo utuntur iuris consulti l. 8 Cod. 3, 31 et l. 5 Cod. 4, 28, praeterea Lamprid. Alex. Seu. 15 et Claudian. Stil. I, 239. similis particulae *dis* notio est in uerbis disceptare, disputare, disserere. —

Elatrare. ep. I, 18, 18: 'uere quod placet ut non acriter elatrem.' i. e. latrans, latrabili uoce eloquar. idem uerbum apud Tertull. de pall. 5 extat. — 'latrare' simili significatione utitur Cicero Brut. 15, 58: 'latrant iam quidam oratores, non locuntur; Hor. serm. I, 3, 136: 'rumperis et latras'; itemque 'latrator' Quintil. inst. XII, 9, 12: 'si a uiro bono in rabulam latratoremque conuertitur.' praeterea 'latrare' conpositum inuenitur cum praepositionibus: ad, circum, con, di, in, inter, ob.

Emetere. ep. I, 6, 21: 'ne plus frumenti dotalibus emetat agris Mutus.' idem uoc. restituit coniectura satis probabili Fr. Iacob. Manilio (quem uocant) V, 245: 'hauriet, emensis et fructibus ipse fruetur', ubi libri scripti habent 'e miseris'; Scaliger emiscens', Bentleius 'e cratere' coniecit.

Emirari. c. I, 5, 8: 'et aspera nigris aequora uentis emirabitur insolens.' i. e. ualde mirabitur. sic omnes libri scripti et Donatus qui eo uersu ad Ter. Eun. 5, 9, 8 utitur. — in quo uerbo e praepositio denotat fere, penitus, funditus aliquid fieri, consumi aliquid; ut elaudare (i. e. laudes consumere), exobsecrare, exiurare (i. e. 'ualde iurare' Nonius), quae omnia ἅπαξ εἰρημένα sunt. quae cum ita sint, non obsequendum est Bentleio, qui 'demirabitur' legendum esse censet. — ceterum Peerlkampus Munckerum refert in Lactant. Plac. p. 251 e mss. et ed. Veneta 'emirari' dedisse idemque saepe restituendum esse, quo de ad Burm. ad Verg. A. V, 555 et Oudendorp. ad Appul. met. V p. 274 relegat.

Inaestuare. epod. 11, 15: 'quodsi meis inaestuet praecordiis libera bilis.' sic 'aestuare' saepe de animi conmotione usurpatur. — 'inaestuare' habent Boethius de cons. 1. metr. 6, 2 (propria significatione) et Prudent. c. Symm. 1. praef. 58: 'succensi stomacho fellis inaestuans (impietas).' — praeterea 'adaestuare', 'exaestuare' et 'interaestuare' reperiuntur.

Inamaresco. s. II, 7, 107: 'nempe inamarescunt epulae sine fine petitae'; i. e. in uentre amarescunt (cf. s. II, 2, 75). 'amarescere' Pallad. 2, 15, 9; 'amarare' Auienus epist. ad Flau. Myrm.; 'amaricare' Vulg. Interp. Apocal. 10, 10 et Augustin. in psalm. 5, 15 et Plinius Valerian. 1, 17.

Incogitare. ep. II, 1, 122: 'non fraudem socio pueroue incogitat ullam pupillo.' — '*pueroue incogitat.* sic habent omnes scripti quos legi', Cruquius adnotat. — et recte opinor schol. Cruquii interpretantur 'intendit, molitur', est enim 'secum mente agitat fraudem contra puerum'; et adposite conferre posse mihi uideor Catulli p. 11, 26 'insidias mihi instruens', et Liu. 23, 25 'instruere fraudem' et Verg. Aen. 6, 609: 'fraudem innectere clienti'; idemque Graecorum ἐπιβουλεύειν significat, ut Lambinus et Torrentius iam adnotauerunt, nec aliter Gesnerus. — quare, aut egregie fallor, iniuria haec interpretatio ab Meinekio inprobatur (praef. p. X), qui apertum esse ait 'fraudem puero incogitare' positum esse pro 'fraudem in puero cogitare', ut sat. II, 2, 105 similiter dixerit 'tanto emetiris aceruo.'

Inemori. epod. 5, 34: 'inemori spectaculo', i. e. emori in spectaculo. et emori et inmori saepe leguntur. — adfert h. l. Priscianus 7, 8, 41.

Intercinere. a. p. 194: 'neu quid (chorus) medios intercinat actus.' idem est *διᾴδειν* apud Aristot. poet. 18 de chori inter diuerbia insertis canticis; sed Reizii est coni., codd. *τὰ διδόμενα.*

Oppedere. s. I, 9, 70: 'uin tu curtis Iudaeis oppedere?' translate pro 'contemnere.' — 'suppedere' adfert Cicero ep. ad Fam. 9, 22, 4.

Permingere. s. I, 2, 44: 'hunc perminxerunt calones.' schol. stuprauerunt.'

Praeteragere. ep. I, 15, 11: 'mutandus locus est et deuersoria nota praeteragendus equus.' recte habet constructio uerbi. nam ut intransitiua uerba, si cum praepositionibus circum, per, praeter, subter, super, trans conponuntur, causatiuum casum adsciscunt ex praep. suspensum, ita etiam passiua transitiuorum uerborum cum iisdem praeposs. copulata; sic praeterferri aliquam rem, praeteruehi aliquam rem; id quod ab grammaticis neglectum esse uideo. quare non confugiendum est ad anastropham scholiorum, probatam illam etiam Gesnero in Thesauro.

Prodocere. ep. I, 1, 55: 'haec Ianus summus ab imo prodocet.' ubi Cruquius: '*prodocet.* palam docet; sic habent 4. Blandin. Buslid. Diuaei, Silu. sed Martin. edocet: Tons. et Nan. praedocet.' — 'prodocet' Bentleii ueterrimae membranae Graeuianae, Leidenses, Reginenses, idque, utpote sententiae unice aptum, recte restitutum est.

Recalcitrare. s. II, 1, 20: 'cui male si palpere, recalcitrat undique tutus (Caesar) i. e. calces remittit (Nep. Eum. 5, 5), translatione ab equo aliisque bestiis sumpta, igitur repugnat, respuit. — 'Calcitrare' translate apud Cic. Coel. 15 'calcitrat, respuit, non putat tua dona esse tanti.' — Bentleius ex cod. Batteliano scribit 'recalcitret', ut utrumque uerbum eodem modo efferatur. ac sane recte sic et aequaliter oratio procedit, sed in nulla orationis forma inaequalitas et anacoluthia crebrior et sollemnior est, quam in condicionali. quod autem Bentleius molliorem esse ait honestioremque subiunctiuum modum, quam recalcitrat, quod de Caesare nimis familiariter dictum foret et paene contumeliose, magis recentiorum hominum quam ueterum de uerecundo et decente sensum respexit.

Redonare. c. II, 7, 3: 'quis te redonauit Quiritem dis pa-

triis Italoque caelo'; i. e. reddidit. sic 'redonator uiae populi' in titulo apud Orell. 6. — aliter paullo dixit c. III, 3, 33 (uel potius III, 2, 65) 'protinus et grauis iras et inuisum nepotem — Marti redonabo.' sic reip. iram donare (Sil. 15, 600), inimicitias donare (Cic. ep. ad fam. 5, 4) i. e. iram mittere; Iust. 32, 2 donare filio patrem, et saepius 'condonare' sic usurpatur. igitur Horatius ait: 'iras Marti donabo et nepotem Marti redonabo, leni, nisi fallor, zeugmate usus, nam, quod re particula denotat, id non de iris dici potest, sed tantummodo de nepote.

Subsuere. serm. I, 2, 29: 'sunt qui nolint tetigisse nisi illas, quarum subsuta talos tegat instita ueste.' ubi matronas denotari non dubium est; in constructione uero expedienda laborant interpretes. Heindorfius hypallagam esse censet pro uestis subsutā institā uel institā uesti subsutā. — 'sed nostram fidem, grammatici, quis huiusmodi hypallagas in poetarum scriptis deprehendit? aut ubi natae sunt nisi in cerebellis magistrorum: qui si hypallagen, hyperbaton, synchysin nominauerint, egregie loca quaeque contaminatissima se putant expedire?' (uerba sunt Bentleii ad c. I, 37, 24.) Orellius uero cum explicat: 'extremus stolae margo subsuitur institae', non minus ridicule loquentem facit Horatius, quam Cicero per iocum 'quis generum meum', inquit, 'ad gladium adligauit?' recte haud dubie locum interpretatus est I. M. Gesnerus in Thesauro in u. instita, ut subsutae uesti instita adiecta sit (u. ipsum).

Non alienum iam ab re fuerit, mantissae loco aliquot uerba adferre, quae bis terue reperiuntur:

Aeternare. Hor. c. IIII, 14, 5 et Varro rerum hum. l. II. ap. Non. p. 75: 'literisque ac laudibus aeternare.' quare fallitur Porphyrio cum scribit: 'fictum uerbum est aeternet.' et hoc quidem nomine saepe errant scholiastae: uelut ad ep. I, 3, 8 comm. Cruquii adnotat: '*paces* noue dixit, quia grammatici negant in plurali numero declinari.' at apud Plautum, Varronem, Salustium legitur. — sic ad c. II, 7, 3 idem: 'notandum Quiritem singulariter positum, cum pluraliter tantum ueteribus sit usurpatum Quirites, teste Donato, sicut manes.' at extat in antiqua formula apud Fest. p. 254, et Iuno Quiris colebatur. — *addocere* ep. I, 5, 18 et Cic. Cluent. 37. — *adplorare* ep. 11, 12 et Sen. q. n. 4, 2, 6. — *adposcere* ep. II, 2, 100 et Ter. Heaut. 4,

7, 10. — *adprecari* c. IIII, 15, 28 et Appul. met. XI, 266, 23 et 4, 1. *inlaqueare* c. III, 16, 16 et Cic. harusp. resp. 4 (cf. Fest. p. 113); *denormare* s. II, 6, 9 et gromat. uet. p. 345, 20.

Tantum de uerbis. (addatur uelim supra p. 11 *rapulum* [s. II, 2, 43 et 8, 8], casu iniquo omissum). aduerbia Horatius solus haece habet:

Exsultim. c. III, 11, 10: 'quae (Lyde) uelut latis equa trima campis ludit exsultim metuitque tangi.' sic exsultare de equis Cic. off. I, 26, 90. Nep. Eum. 5; de piscibus Cic. diu. II, 70, 145 et ap. Non. 66, 1. Plin. n. h. 18, 35, 88: 'Pecora exsultantia et indecora lasciuia ludentia.' cf. Lucret. II, 631: 'ludunt in numerumque exsultant sanguinolenti.' — 'subsultim' apud Sueton. Aug. 83. item formatum 'expulsim': Varro ap. Non. 104, 29: 'uidebis ... pueros ... pila expulsim ludere.'

Forsit. serm. I, 6, 49: 'quia non, ut forsit honorem iure mihi inuideat quiuis, ita te quoque amicum.' — adfert Priscianus p. 1015. ab *fors* aduerbia haec deriuata sunt: fors et forsan; fortasse et fortassean; forsit et forsitan; fors fuat (Sidon. ep. 9, 7) et fors fuat an (Symm. ep. I, 39; 4, 28 et 29). cf. Hand. Turs. II p. 712.

Insolabiliter. ep. I, 14, 8: 'rapto de fratre dolentis insolabiliter.' Ouidii est 'inconsolabilis' (Met. 5, 426); 'consolabilis' Cic. ep. fam. 4, 3, 2, habet. sed nec solabilis nec insolabilis extat. Lucretius III, 907 dixerat: 'insatiabiliter defleuimus.' recte autem hic Orellius Horatii artem agnouisse mihi uidetur, qua Lamiae etiam atque etiam et sine fine fratrem maerentis luctum depinxit pari utriusque uersus partis exitu et 'fratris' repetitione et longo uocabulo 'insolabiliter.'

Iam uero consequens erat, ut nomina propria, quibus solus Horatius utitur, exhiberem. haec tamen dum colligebam, mox longioris eum locum conquisitionis et disquisitionis egere intellegi, nisi neglegentiae crimine obstrinxisse me uellem. quare paucissima de magno numero nunc delibabo. igitur incertae fidei sunt *Barine* c. II, 8, 2 (u. Bentl.) et *Pyrrhia* ep. I, 13, 14, quo de supra iam dixi. nusquam alibi extare uidentur: *Malchinus* (s. I, 2, 25), *Ofellus* (s. II, 2, 2 et 112), *Scetanius* (s. I, 4, 112), *Suadela* (ep. I, 6, 38) i. e. *Πειθώ*. Ennius dixerat 'Suada', quod nouae artis poetis et criticis displicuisse uidetur,

certe a Seneca ipse ille Ennii uersus uituperatus est (u. Gell. XII, 2) et Quintil. II, 15, 4 diserte dicit: 'neque enim mihi permiserim eadem uti declinatione, qua Ennius M. Cethegum *Suadae* medullam uocat.' ceterum adpellatiuum 'Suadela' nunc apud Plautum tantum et Appuleium extare uidetur. — porro locorum nomina *Bandusia* (c. III, 13, 1), *Digentia* (ep. I, 18, 104), *Haedilia* (c. I, 17, 9), *Mandela* (ep. I, 18, 105; 'Mandelana massa' in titulo Orell. 104).

Finem huius scriptionis faciamus eis enumerandis, quae quadam forma semel reperiuntur. ac primum quidem memoranda haece participia: *sonaturus* s. I, 4, 44 et *intonatus* epod. 2, 51 (de quibus u. Bentl. ad serm. I, 8, 41; cf. G. T. A. Kruegeri gramm. p. 120). — deinde conparatiuus adiectiui 'caecus' serm. I, 2, 91 (quam satiram permulta singularia continere iam uidimus): 'ne corporis optima Lyncei contemplere oculis, Hypsaea *caecior* illa.' ubi recte Porphyrio: 'Plautia Hypsaea *uitiosos* oculos habuisse dicitur, quam hic amare in transitu percussit.' fallitur enim Heindorfius, quod scribit: 'Der Spott wegen der Augenschwäche wäre des Dichters unwürdig; war sie völlig blind, dann ist hier kein Spott, und nun erst gewinnen die Worte ihre Kraft.' — nam primum melius discemus, ueteres de his aliter sensisse et corporis etiam uitia derisisse; nec omnino intellegitur, cur magis contumeliosum sit uitiositatem oculorum quam caecitatem deridere. derisio tamen in his uerbis inesse debet, ne inepte loquatur Horatius. deinde si prorsus caeca erat Hypsaea, conparatiuo *caecior* uti plane non potuit, cum absolutae caecitatis gradationes nullae sint. postremo absurdum erat certam aliquam, Hypsaeam nominare, si de absoluta caecitate agebat, cum permulti certe Romae caeci extarent. sic enim M. Hauptius in scholis egregie Heind. refutauit. — neque tamen sine exemplo dictum est caecus de uitiositate oculorum, nam ita 'surdus' saepe de eo qui parum audit et in conparatiuo usurpatur.

Aduerbia adiectiuorum haece apud solum Horatium extant:

Gelide. a. p. 171: 'senex res omnis timide gelideque ministrat.' gelidus adiectiuum hac notione dictum nusquam repperi. Coelius in Cic. ep. ad fam. 8, 10, 3 dixit 'frigide agere'; sed saepe legitur quod huic contrarium est, 'calidus' (cf. Cic. inuent.

2, 9), cuius aduerbio solus Plautus Epid. 2, 2, 99 utitur 'cal. age.' — deinde *damnose* s. II, 8, 34: 'nisi damn. bibimus.' extat tamen l. 40 § 3 Dig. 39, 2: 'aedes quae damnose imminent.' — deinde *generose*. c. I, 37, 21: 'quae (Cleopatra) generosius perire quaerens.' — tum *laeue*. ep. I, 7, 52: 'puer hic non laeue iussa Philippi accipiebat.' 'laeuus' sic ipse Hor. a. p. 301; et 'dextre' Liu. I, 34 'dextreque obeundo officia' et Hor. s. I, 9, 45 'nemo dexterius fortuna est usus.' — porro *socialiter* a. p. 258: 'spondeos stabilis in iura paterna recepit commodus et patiens, non ut de sede secunda cederet aut quarta socialiter.' — Postremo *inpariter* a. p. 75 'uersibus impariter iunctis querimonia primum' et q. s. item de disticho elegiaco Ouidius Am. II, 17, 21: 'carminis hoc ipsum genus inpar' et Trist. II, 220: 'inparibus carmina facta modis.' — memorabile hoc uerbum est Ter. Scauri, 'Hadriani temporibus grammatici uel nobilissimi', quadam adnotatione, relata ab Charisio p. *182 P:* inpariter Horatius epistolarum, uersibus impariter iunctis; ubi Q. Terentius Scaurus in commentariis in artem poeticam libro X 'aduerbium' inquit 'figurauit.' qua occasione oblata liceat mihi

DE TER. SCAVRI COMMENTARIIS HORATIANIS

quaedam disserere, cum quae uulgo de iis feruntur opiniones ferri non posse mihi persuasum sit. igitur Q. Terentius Scaurus, quem Vergilii Maronis interpretem fuisse post edita a Maio Veronensia scholia dubitari non debet, idem in Horatii 'artem poeticam' minimum decem librorum commentarium scripsisse credebatur ex illis quae supra adtuli Charisii uerbis (p. 182 P) et ex his eiusdem p. 188 P: primus pro in primis, ut Maro [Aen. I, 1] 'Troiae qui primus ab oris'; ubi Q. Terentius Scaurus commentariis in artem poeticam libro X 'non qui ante omnes' inquit 'sed ante quem nemo est', et addit 'quo genere plures primi accipi possunt.' — cum uero omnino non admodum ueri simile sit, de uniuersa Horatii 'arte poetica' decem libros conscriptos fuisse, tum de septuaginta uersibus nouem iam libros Scaurum absoluisse (priora enim illa uerba ad a. p. 75 pertinent) id omnem fidem excedit. quare etiam Bernhardyus in hac explicatione non acquieuit sed nouam ipse hanc protulit (enarrat. litt. lat. p. 534, 6) hisce uerbis: 'Als erster Bearbeiter ist irrig Ter. Scaurus mit 10 B. commentarii angenommen wor-

den, er war aber Verfasser einer *Ars poetica*'; quam sententiam explicatius in ind. schol. aest. a. 1847 Hal. exposuit (adn. 2) 'quod T. Scaurum Hadriano principe contendunt in Horatii Artem poeticam *libros* minimum *decem* euulgasse, manifestus est error, ab Eschenburgio in operis Hurdiani T. I p. 375 euitatus, post Gesnerum tamen a Baehrio nuper in Hist. Litt. Rom. t. I p. 372 repetitus. Charisius enim p. 182 'impariter — figurauit.' hic uero lector paullo scientior sermonis grammatici, quem Suringarius Batauus in Historia crit. Schol. Lat. infinitis locis (u. Annal. crit. Berolin. a. 1836 No. 59) magno cum detrimento suo ignorat, ex ipsa particula *ubi* facile coniectet, non in commentariis Horatianis (etenim inutilis foret adiectio commentariorum in A. Poet.), sed in institutionibus elocutionis poeticae de uoce *impariter* disputatum fuisse. rem extra controuersiam adducit alter Charisii locus p. 188 Scaurum cum Vergilio coniungens: "primus et q. s."'

Equidem uero tantum abest, ut his eam rem extra controuersiam adductam esse putem, ut 'artem poeticam' Scauri 'commentarios *in* artem poeticam' nominari posse prorsus negem. accedit quod Scauri mentio a Porphyrione et 'commentatore' Cruquii facta uetat nos contendere Scaurum de Horatio ipso omnino nihil scripsisse. ad sermonum enim II, 5, 92 haec habet Cruq. comm.: 'obstipo: fixo, immobili, tristi, uel, ut Scaurus dicit, inclinato in alterum humerum' et Porphyrio 'tristi ac seuero; Scaurus "inclinato" dicit.' ('Scaurus' exhibet codex Monacensis et pridem Canterus in 'uetusto exemplari' inuenit; u. eius Nou. lectt. in Gruteri Lamp. III, 557). quod autem de *ubi* particulae usu Berhardyus ait, non ita illud probandum est, quasi omnino non liceat de Horatianis Scauri commentariis cogitari; nam tametsi haec particula saepe a grammaticis adhibetur, sicubi liberiore uinculo cum poetae testimonio grammatici alicuius nomen iungitur, ut 'ubi Scaurus' tantundem ualeat ac 'quod exemplum (per cuiuslibet quaestionis opportunitatem) adferens Scaurus' s. 'quo de loco, qua de re ubiubi agens Scaurus' (sumpsi haec ex praeclara Frid. Ritschelii in Parerg. Plaut. I p. 363 disputatione), tamen per se patet *ubi* etiam sic adhiberi posse et saepissime adhiberi, ut grammatici commentarius ad eum scriptorem, cuius locus aliquis laudatus est, significet

Haec reputanti mihi non inprobabilis de Scauri commentariis opinio sese optulit haece: Scaurum in Horatii poemata omnia ita commentatum esse, ut singulis Horatii libris singulos commentarii libros tribueret. etenim si duo sermonum libros, singularem epodon, quattuor carminum, duo epistularum et singularem de arte poetica conputaueris, decem commentariorum in Horatium libros efficies; ac proinde decimus liber ad artem poeticam pertinebit, quam prioribus temporibus non, ut postea, pone carminum libros ante epodos aut post carmen saeculare ante sermones et epistulas (u. Bentl. prf. p. X L.) collocatam fuisse, sed post epistulas consentaneum est. — iam uero optime quadrant illa apud Charisium p. 182. quamquam enim concedendum est suffecisse fortasse, si Charisius pro 'ubi T. Scaurus in commentariis in a. p. libro X' scripsisset uel 'ubi Scaurus' uel 'ubi Scaurus in commentariis in a. p.' uel 'ubi Scaurus in commentariis in Horatium l. X', tamen primum reputandum est, nos in grammatico uersari nec tam quaerendum esse, quomodo breuissime et elegantissime ab eo scriptum oportuerit, quam num omnino ita loqui potuerit. et hoc quidem negari non potest. fortasse, si ariolari licet, ideo uberius Charisius locutus est, ut ambiguitatem euitaret, ne aliud Scauri opusculum significare putaretur; fortasse illa uerba sic ut nunc in eius 'arte grammatica' extant in aduersaria sua, cum excerperet Scauri commentarios, retulerat et nullo uerbo mutato in 'artem' suam transscripsit. — alter uero Charisii locus (p. 188 P), ubi primus, non *qui ante omnes* sed ante quem nemo est a Scauro explicatur, magis fauet quam obstat meae opinioni. Scaurus enim in commentariis Horatianis ad artis poet. uersum 84 'equum certamine *primum*' (quod uerbum ibi schol. Cruq. interpretantur: '*qui ante omnes*') uel u. 75 uel 103 de 'primus' uocabulo disserens notissimum illum Vergilii uersum ('Troiae qui primus ab oris') adferre potuit, et Charisius eum laudauit particula *ubi* utens in eum modum, quem supra memorauimus: 'ut Maro "Troiae qui primus ab oris", ubi (i. e. quem locum per quamlibet occasionem adferens) Scaurus' et q. s.

CAROLI FRIDER. GVIL. ZANGEMEISTER

VITA.

Natus sum 28. m. Nou. a. 1837 in uico Gothano Hallungen patre Guilelmo, praedii ibi possessore, matre Guilelmina e gente Hattenbach, quos optimos parentes ut summus deus mihi quam diutissime seruet enixe precor. fidem profiteor euangelicam. prima litterarum elementa a priuatis praeceptoribus edoctus, VIII annos natus in progymnasium Eschwegiae, Hessorum oppidi, missus sum, ubi Rossbachius et Eichenbergius firmissima graecae latinaeque linguarum fundamenta iecerunt. a. 1851 transmigraui Molhusam Thuringorum, Haunii cuius auspiciis florebat et florebit gymnasium et Caroli Ameisii praeclaram institutionem nancturus. post triennium Gothae gymnasium quod inlustre et uocabatur et erat directore Rostio adii, cuius uiri doctissimi et Ottonis Schneideri et E. Wuestemanni b. et C. Regelii praeter ceteros in me merita celebranda sunt. atque Ottonis potissimum Schneideri consilio factum est, ut Bonnae et Berolini graecarum latinarumque litterarum studio nauarem operam. Bonnae inde a uere a. 1857 scholas frequentaui Brandisii, Breidensteinii, Dahlmannii, Diezii, O. Iahnii, Loebellii, Leop. Schmidtii, Springeri, Friderici Ritschelii, Schopeni, Welckeri; et Leop. Schmidtii exercitationibus philol. interfui. postremo inde ab a. 1859 Berolini Boeckhii, Droysenii, Hauptii, Trendelenburgii doctrina usus sum. praeterea per II semestria seminarii philolog. sodalis ordinarius fui, per I Trendelenburgii philosophis exercitationibus interfui. qui uiri, ut laude mea maiores sunt, ita quam bene de me usque sint meriti, memori mente et sentire ipse et palam profiteri numquam desinam. maxime uero parentibus carissimis id me debere gratus testor, quod principum in sua cuiusque parte uirorum disciplina et institutione uti mihi contigit.

SENTENTIAE.

1. Aristoph. Ach. 25 scripsit:
   ἐνοχλοῦντες ἀλλήλοις περὶ τοῦ πρώτου ξύλου.
   libri *ἐλθόντες.*

2. Thuc. II, 43 legendum censeo: *ἀλλ' οἷς ἡ ἐναντία μεταβολὴ [ἐν τῷ ζῆν] ἔτι κινδυνεύεται .... ἀλγεινοτέρα γὰρ ἀνδρί γε φρόνημα ἔχοντι ἡ ἐν τῷ ζῆν μετὰ τοῦ μαλακισθῆναι κάκωσις ἢ ὁ μετὰ ῥώμης .... θάνατος.* — uerba *ἐν τῷ ζῆν* libri post *μεταβολὴ*, mox *ἐν τῷ* alii ante *μετὰ τοῦ*, alii pone *μετὰ τοῦ* exhibent.

3. Schol. Od. *χ*, 130 nominatiui hice *ὀρσοθύρα, λαύρα, θάλαμος, ἀνδρών, οὐδός, πρόδομος* exscripti sunt ex locorum delineatione in margine exemplarium uet. adpicta (u. Eust. p. 1921, 51).

4. Recte Lachm. Hor. ep. II, 1, 101 traiecit post u. 107.

5. Apud Acron. ad Hor. c. III, 4, 28 scribendum est: 'Palinurus .... non a Pal. Aeneae gubernatore dict. sed ab *οὐρεῖν πάλιν.*' — uulgo fertur 'ab Annibale.'

6. Qui *αἰτιατικὴν πτῶσιν* latine adpellauerunt accusatiuum casum mire falsi sunt.

